DE IURE FAMILIARUM APUD ATHENIENSES LIBROS TRES...

Anton Henrik G. P. : van den Es

DE IURE FAMILIARUM

APUD ATHENIENSES

LIBROS TRES

CONSCRIPSIT

A. H. G. P. VAN DEN ES.

LUGDUNI BATAVORUM,
E. J. BRILL.

1864.

VIRO CLARISSIMO

CORNELIO MARINO FRANCKEN

IN GRONINGANA ACADEMIA LITERARUM PROFESSORI

D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Graecae literae accurata iuris attici cognitione cum non facile possint carere — permagna enim pars auctorum Graecorum, oratores praesertim et comici, intelligi nequit, nisi bene perspectam habeas huius iuris rationem — proximis abhinc annis permulti egregiam operam et curam posuerunt in singulis huius disciplinae partibus enucleandis. Supersunt tamen ad quae exponenda improbo labore opus est: undique enim veterum testimonia indaganda sunt et ponderanda, vera a falsis secernenda, in suum quodque locum redigenda; quae omnia cum facta erunt, tum demum iuris attici quasi corpus constitutum erit nostra dignum aetate. Sed ne vel sic quidem omnia perfecta erunt, nam bene multa etiam tum supererunt quae nonnisi divinando definiri poterunt. Divinatione tamen nostra in disciplina semper prudentissime erit utendum, et optime rem geremus, si primum ea constituerimus quae sciri possunt ex perpetua veterum consuetudine et singula cognoverimus quae pertinent et ad ius privatum et ad ius publicum.

Cum autem omnis iuris apud Atticos divisio prorsus nesciatur, sua cuique ratio informanda est. Equidem eam mihi iuris privati partem tractandam sumsi quae ex aliarum gentium iuris instituto ius familiarum dicitur. Non nesciebam mihi ius atticum

—

enarranti inde multas orituras molestias, cum persaepe ius privatum familiarum mixtum sit iuri publico; sed optio faciendo fuit, et satius duxi unam ad finem usque persequi rem quam omnia miscere. Ita autem egi ut omnia instituta ad hoc ius pertinentia in tres partes diviserim. Primo igitur de matrimonio dicam tum de parentum et liberorum iuribus denique de tutela.

LIBER PRIMUS.

DE MATRIMONIO.

I. DE MODIS INEUNDI MATRIMONII. DE CONNUBIO.

II. DE IURIBUS CONIUGUM INTER SESE.

III. DE MATRIMONII FINE.

LIBER SECUNDUS.

DE PARENTUM LIBERORUMQUE IURIBUS.

I. DE LIBERORUM CONDICIONE.

LIBER TERTIUS.

DE TUTELA.

LIBER PRIMUS.

DE MATRIMONIO.

I.

DE MODIS INEUNDI MATRIMONII DE CONNUBIO.

1.

DE MATRIMONIO IN UNIVERSUM.

Matrimonium sive legitima maris et feminae coniunctio, quae genuinorum liberorum quaerendorum causa fit et omnium rationum universam communionem inter coniuges efficit, cum apud omnes populos tum apud Athenienses fons atque origo habenda est totius iuris familiarum.

Disputatum est a multis exstiteritne digamia apud Athenienses. Vir antiquitatis graecae peritissimus Luzac [1]) omnes omni dubitatione liberavit demonstrans eam Athenis numquam licitam fuisse. Attamen nota sunt quae de Socratis

1) Lectiones att. p. 45 et 80.

digamia narrantur; hunc vero nuper vir clarissimus van Heusde [1]) hoc crimine prorsus absolvit. Neque ex antiquis et probatis auctoribus ullum afferri potest testimonium, quo iustum matrimonium cum binis uxoribus uno tempore licitum fuisse probatur. E contrario videmus Protomachum [2]) Thucrito, cuidam ex necessariis, persuadentem ut ducat suam uxorem, ex qua sibi liberi iam nati erant, ut scilicet ipse ducens opulentam filiam hereditariam paupertati suae medeatur. Vix credi possit maritus remissurum esse amatam uxorem, liberorum suorum matrem, ut alteram ducat, si per leges liceat plures uno tempore uxores ducere. Indolem autem legis atticae his versibus respexisse videtur Euripides [3]):

οὐδὲ γὰρ καλὸν
δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν.

Cecropis legem ἕνα μιᾷ συνοικεῖν [4]) de industria omitto, cum illa vetustissima tangere nolim, unde mihi iuris attici doctrinae nihil profuturus videor.

Ut vero nusquam terrarum lege civili interdictum est concubinarum consuetudine uti, ita neque Athenis vetabatur. Vel iura quaedam spuriis liberis tributa videmus, quae tamen exponere nobis differendum est ad eum locum, qui universe de liberis agemus. Porro concubinatum apud Athenienses coniunctionem fuisse legibus descriptam luce clarius apparet ex instituto, quod Demosthenes et Lysias nobis tradiderunt. Ille [5]) enim legem commemorat, ex qua impune interficere licebat alterum, unde ea quae ad rem nostram faciunt describam: » si quis quem

1) Verslagen en mededeelingen der kon. Academie, afd. letterkunde, IV, p. 269—274.

2) [Demosth.] c. Eubul. p. 1311, § 41; in laudandis orationibus quae Demosthenis nomine gaudent, sed pro spuriis habentur, sequor Schaeferi iudicium in praestantissimo libro Demosthenes und seine zeit, III, 2, p 315 sqq.

3) Androm. vs. 177

4) Suidas v. Κέκροψ

5) c. Aristocr. p 637, § 55.

deprehenderit apud matrem aut apud filiam aut apud concubinam, quam ingenuorum liberorum suscipiendorum causa habeat, is hunc impune occidito." Idem fere Lysias docet [1]) dicens Areopago diserte praescriptum fuisse ne caedis condemnent eum hominem, qui adulterum deprehendens prope suam ipsius uxorem hunc occiderit; »atque adeo legislator existimavit haec iusta esse et aequa de uxoribus legitimis, ut etiam de concubinis minore certe pretio dignis eadem statuerit. At enim manifestum est, quod, si ullas poenas graviores habuisset, eas utique statuisset de violatis uxoribus: iam autem, cum de bis non potuerit graviores excogitare easdem pro uxoribus et pro concubinis irrogari placuit."

Neque omittendum est Isaei testimonium in oratione de Pyrrhi hereditate. Tota autem illa oratio versatur in argumento de concubinatu, quem certissima legitimam quandam coniunctionem fuisse hoc denique demonstrat, quod feminae a suis vel locabantur in concubinatum, et ii, qui mulieres elocabant ut concubinas, omnes caveri sibi curabant de emolumentis, quorum fructum sperare deberet eiusmodi concubina [2]).

Interest tamen inter παλλακήν, concubinam, et ἑταίραν; hac enim voluptatis causa utimur, illa τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος ἕνεκα. Et minime turpe videbatur uti concubina, apud Antiphontem [3]) e. g. orator de Philoneo quodam, nihil probri ei rei inesse existimans, haec narrat: »superiorem domus nostrae partem Philoneus, quoties in urbe degeret, habitare solebat, vir honestus et frugi, quo pater noster familiarissime utebatur; atque illi erat concubina."

Itaque oratorum tempore exstitit haec legitima concubinarum

1) de caede Eratosth. p. 94, § 31.
2) Is. de Pyrrhi her. p. 41, § 30.
3) acc. venef. p. 113, § 14.

condicio; quam cum iam tum antiquis legibus descriptam fuisse videamus, nulla cogitari potest causa, ob quam fidem habeamus Diogeni Laërtio referenti Athenienses, cum bello ac lue civibus exhaustam civitatem reparare ac sobolem propagare vellent, decrevisse licere quidem ducere civem unam tantum, ex altera vero quoque liberos suscipere [1]. Cum enim Isaeus in laudata oratione quo vidimus modo de concubinis locutus sit et Demosthenes legem laudans tam antiquis vocabulis usus sit [2] et praeterea apud Lysiam, quippe qui Areopagum commemoret, sermo esse non possit nisi de temporibus ante Periclem, legitima concubinatus institutio tam recens fuisse non potest. Non multum igitur proficimus Diogenis psephismate, qui nihilo nos certiores facit, quae tandem iuris instituta de concubinatu valuerint. Satis sit quos attulimus locis evicisse **Athenis concubinatum legitime viguisse**, quod, si tanti est, a Diogene affirmatum videmus.

Multi lexicographorum et Plutarchi testimoniis freti censuerunt coelibatum Athenis vetitum fuisse. Inter illos Pollux [3]) et lexicon rhetoricum [4]) δίκην ἀγαμίου commemorant. Plutarchus [5]) autem cives Lycurgi et Solonis leges ἀγαμίου et ὀψιγαμίου habuisse contendit. Idem tamen hoc loco tam diserte tradens Spartae fuisse coelibatus actionem, cum Lysandri vitam conscriberet, non satis sibi persuasum habebat exstiteritne eiusmodi lex Spartae necne, erat enim, **ut videtur**, inquit, Spartae et ἀγαμίου δίκη et ὀψιγαμίου et κακογαμίου [6]). Quid vero nobis de Athenis divinandum relinquitur, si vel de Sparta historicus ita dubitanter scribit? De poenis apud Spartanos in

---

1) II, 25.
2) (ἐάν τις ἀποκτείνῃ τινά) ἢ ἐπὶ δάμαρτι ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπὶ ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ ἢ ἐπὶ παλλακῇ ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ.
3) VIII, 40, cl. III, 48.
4) Bekk. A. Gr. p 336.
5) de am. prol. c. 2.
6) c. 30

ἀγάμους, ὀψιγάμους et κακογάμους quoque agit Aristo apud Stobaeum[1]); de his vero nunc nobis sermo non est.

Si autem revera actio ἀγαμίου Athenis exstitit, nihil aliud lex potest iussisse quam omnibus civibus uxores ducendas esse, aut si non omnibus, quibus inter eos hoc faciendum sit; quod nisi faciant lege contra eos actum iri. Huius tamen instituti apud veteres et probatos scriptores vola nec vestigium reperitur. Quid vero efficacius fuisset, ubi opus esset in iure alicuius coelibatum probari, quam testimonia huiusmodi actionis contra eum institutae afferre? quod tamen numquam fit. Alia sunt, quae, si usus est, defuncti coelibatum arguant. Demosthenis aequalem oratorem tibi promam. Archiades coelebs mortuus erat. Indicium hoc tantum erat: λουτροφόρος Archiadis sepulcro imposita erat[2]). Atque orator testimonia recitari iubens[3]), opinor, non tantum hoc coelibatus indicium attulisset, si alio eoque firmiore argumento probari potuisset. Itaque coelibatum lege attica vetitum fuisse numquam mihi persuadebo, donec saltem certiora testimonia quam Plutarchi et lexicographorum afferantur.

Dinarchus[4]) docet maioris auctoritatis fuisse qui suscepissent liberos ex legitimo matrimonio, quam qui non suscepissent; hoc rerum natura fert. Poenas vero irrogari coelibi libera Atheniensium civitas numquam passa fuisset nec quemquam sanae mentis compotem passurum esse puto.

---

1) LXVII, 16

2) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1086, § 18. Si cui de hac consuetudine plura novisse lubet, adeat Pollucem VIII, 66, Bekk. A. Gr. p. 226, Eustath. ad Hom. p. 1299, qui loca demonstrant Dobreeo (Adv. I, p. 505) quaerenti an λουτροφόρος significet *sine prole mortuum esse* et propterea legendum sit ἄπαις τε καὶ ἄγαμος ὤν, ut p. 1080, 6, negando respondendum esse.

3) ibid. p. 1089, § 90

4) c. Demosth. p. 69, § 71.

2.

DE MODIS INEUNDI MATRIMONII.

Duo a legislatore instituti videntur modi iusti matrimonii ineundi. ἐγγύησις et ἐπιδικασία, quod ex Isaei [1]) verbis apparet dicentis Callippen quandam aetatis annum iam trigesimum egressam adbuc in Euctemonis tutela fuisse non oportere nondum elocatam neque matrem factam, sed potius in manu mariti iamdudum ante fuisse secundum leges ἐγγυηθεῖσαν aut ἐπιδικασθεῖσαν.

De utroque modo deinceps videamus.

A. De modo matrimonii ineundi, qui dicitur ἐγγύησις.

Verbum ἐγγυᾶν cum proprie spondere significet et de unaquaque re usurpetur, ἐγγυᾶν τὴν θυγατέρα ἀνδρί, despondere filiam viro, pater dicitur aut omnino is, in cuius manu femina est [2]); ἐνεγυήσατο is, qui feminam ducturus est [3]); femina autem ipsa ἐνεγυήθη [4]). Rea ipsa aut ἐγγύησις [5]) aut ἐγγύη [6]) a veteribus nominatur.

Primariam de despondendi instituto legem Demosthenis aequalis orator hanc refert [7]): quam desponderit pater aut frater aut avus, ex ea genuini liberi sunto. Lex tamen hoc loco non integra ab oratore laudatur, nam non

---

1) de Philoct her p 57, § 14.
2) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1095, § 49.
3) Demosth. c Androt. p. 609, § 53.
4) Is de Philoct. her. p. 57, § 14.
5) id. de Pyrrh her p. 43, § 53.
6) Plato, de legg. VI, p 774 F, c. 17
7) [Demosth.] adv. Leoch. p 1095, § 49.

prospicit earum sponsalibus, quibus nec pater nec frater nec avus superstes sit. Talis filia ἐπίκληρος dicitur, et lex diserte docet huius despondendae nulli alii ius esse, nisi ei, qui eius κύριος sit, velut patris defuncti fratribus aut epicleri ipsius filiis, cum libro lexiarchico sint inscripti [1]). Mox tamen cum de altero matrimonii ineundi modo agemus, hac de re amplius dicemus; nunc satis sit digito tantum ostendisse.

Exemplum fratris sororem despondentis unum e multis Isaeos nobis praebeat, narrans Hieroclem sororem suam despondisse Theophrasto [2]).

Sponsalia autem testibus praesentibus fieri solebant [3]). Recentiores vero auctores [4]) somniaverunt de sollemnibus tabulis signatis coram testibus, quibus is cui femina spondcretur confiteretur se cum legitima uxore certam aliquam pecuniam accepisse. De his autem tabulis apud antiquos nihil invenitur, nec res ipsa nec bellissimum nomen προικῷα, quod Bunsen iis tabulis indidit, nisi ex Harmenopulo Theodoreto id genus aliis innotuit. Isaeus in oratione de Pyrrbi hereditate uberrime de sponsalibus agens nusquam tabulas, semper vero tantum testes coram quibus dos tradita erat commemorat. At, opinor, non neglexisset, si revera tabulae confici solitae essent, harum facere mentionem.

Vitrico privignae despondendae ius non erat, nam haec alium κύριον habebat; scilicet aut habebat fratres, quibus illud ius per leges datum fuit, aut epiclerus erat, de qua quid leges statuerint postea videbimus.

1) Is. de Arist. her. p. 60, § 12.

2) de Astyph. her. p. 77, § 27, cf. p. 74, § 6 et p. 77, § 22, ubi Scheibe recctissime auctore Oobreeo et Turicensibus addidit καὶ ἐκείνῳ. Malim tamen ἐμοὶ κἀκείνῳ pro iis, quae nunc leguntur καὶ ἐκείνῳ καὶ ἐμοί, eo enim modo locare pronomina personalia Graeci amant; cf § 6. θεῖον ὄντα καὶ ἐμοῦ καὶ ἐκείνου.

3) Is. de Pyrrh. her. p. 39, § 18 et p. 40, § 26.

4) Gans, das erbrecht in weltgesch. entwickel., I, p. 304; Bunsen, de iure hered. Athen., p. 42 sq.

At mihi ex Isaei de Astyphili hereditate oratione exemplum Theophrasti obiicitur [1]) privignam suam despondentis. Meam tamen sententiam firmari non labefactari allato exemplo ultro apparebit locum ipsum inspicienti. Euthycratis filio Astyphilo erat soror eodem patre nata, quod bene attendendum est, nam si soror ea non est filia sororis Hierochis, sed concepta ex Euthycratis priore matrimonio, Theophrastus huius puellae ne vitricus quidem est. Mortuo autem Euthycrate Theophrastus, oratoris pater, huius viduam duxit. Postquam deinde Astyphilus tabulis lexiarchicis inscriptus fuit, patrimonium a Theophrasto totum rite legitimeque accepit, ita ut ideo nunquam cum eo questus sit. Postea Astyphili sororem eodem patre natam (τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐκείνου ὁμοπατρίαν) despondit Theophrastus viro, qui ei videbatur idoneus esse, et reliqua eius negotia gessit; quae omnia Astyphilus rata habuit (καὶ ταῦτα τῷ Ἀστυφίλῳ ἐξήρκει) existimans se benevolentiae, qua Theophrastus erga se uteretur, satis perspicuum cepisse documentum eo, quod ab eo inde a puero educatus esset. His omnibus satis indicari videtur Theophrastum despondisse Astyphili sororem non ut eius κύριον, sed ex Astyphili auctoritate, quippe qui Theophrasti prudentiae hac in re plus quam suae confideret. Astyphilo autem leges sponsalia dedisse ipsum illud καὶ ταῦτα τῷ Ἀστυφίλῳ ἐξήρκει confirmat [2]).

Plato patria lege usus videtur iubens [3]) in sua civitate sponsalia legitima ea esse, quae fiant primum a patre tum ab avo deinde a fratribus eodem patre natis. Ex ordine, quem Plato sequitur, statim apparet aliquid interesse inter ius verum et ficticia philosophi iuris instituta. Hic enim primum patrem tum avum deinde fratres nominat, lex vero ipsa [4]) patrem fratrem avum. Ita semper Plato facit in legibus

1) p. 77, § 29, cf. infra lib I, III, 2, B.
2) cf. Schoemann ad Isaei locum.
3) de legg. VI, p. 774 E, c. 17.
4) cf supra p 6, n 7.

suis statuendis, ut impediamur, quominus eius institutis utamur ad iuris attici doctrinam cognoscendam; non quidem neglexit patrias leges, quae sibi bonae et aequae videbantur esse, sed, ubi minus eas probabat, ingenio indulsit.

Fratrem tantum eadem matre natum vix credi posse ius sororis despondendae habuisse dixi. Quod facile demonstratur: filia enim, cuius mater bis nupserat cogitari potest aut habere fratres iisdem parentibus natos aut non habere. Fratrem autem eiusmodi si habet, hic post patrem in huius iura succedit, quibus ius sororis despondendae accensendum fuisse vidimus. Sin vero non habet fratrem eodem patre natum, epiclerus est, huius autem κύριος, ut mox videbimus, est genere proximus a parte patris, numquam vero frater eadem tantum matre natus, nisi forte hic idem sit atque genere proximus, quod tantum tum fieri potest, cum mater continuo binis fratribus nupsit.

Aliud in Isaeo [1]) exstare videtur exemplum fratris uterinam sororem despondentis. Apollodorus sororem uterinam Lacratidi dat per testamentum. At species fallit, neque hic locus iuri attico adversatur sponsalia primum patri tum fratribus concedenti, numquam vero fratri uterino, nam cogitandum est de adoptione. Apollodorus enim profecturus ad corinthium bellum sororem heredem scripsit et eam suis opibus Lacratidi elocavit, si ipse in bello adversa usus fuerit fortuna. Salvus vero redux hoc testamentum irritum fecit; nam sorore oratoris patri nubente, cui Apollodorus eam despondisse non dicitur, ipse ducit uxorem, quaa ei filium parit. Haec omnia post corinthiam expeditionem facta esse inde apparet, quod Apollodoro, si ipsi eo tempore iam natus fuisset filius, non licuisset per testamentum opes sorori relinquere. Filio deinde mortuo pristinam erga sororem voluntatem revocavit huiusque filium extremo vitae tempore adoptavit et

1) de Apoll. her. p 64, § 9.

phratriae libro inscribi iussit Thrasylum Apollodori. Non quidem nescio iure attico feminas adoptari non potuisse; sed Apollodorus proprie non adoptavit sororem: eam heredem scripsit et simul nuptum elocavit, id est adoptavit filium ex sorore nasciturum, atque ita cavit ne nomen suum periret et curavit ut filio ex sorore et Lacratido nato revivisceret [1]).

In Isaei oratione de Pyrrhi hered. [2]) occurrit Endius frater neque ὁμοπάτριος neque ὁμομήτριος sed adoptatus sororem despondens, quod tamen non fratris sed κυρίου iure peregit. Nam genere proximus erat Pyrrhi filiae et usus est iure sibi e legibus dato, ut eam aut ipse duceret aut desponderet. Hoc autem cum fecerit, merito quaeri potest quo tandem iure fecerit; nam si filia ista Pyrrhi revera spuria fuit, et Endium Pyrrhus adoptare poterat et Endius filiam alteri despondere; sin vero genuina fuerit, non poterat Endius adoptari nisi quoque filiam Pyrrhi duceret. Videtur igitur proximus cognatus ius habuisse spuriae filiae despondendae.

Plures cum essent fratres, hi una sororem aut sorores despondebant. Orator [3]) enim narrat tres fuisse fratres Menexenum Bathyllum Periandrum; illi iam sui iuris erant, hic vero nondum; erat enim adhuc puer, neque igitur ulla in iure agendi potestas ei erat. Menexenus igitur cum Bathyllo sororem suam elocant. Isaeus [4]) quoque tradit binos fratres suas sorores elocare alteram Leucolopho alteram Menecli.

Hoc iuris instituto recte cognito ad certissimam emendati-

---

1) Notandus est error Platneri (der proc. II, p. 251) dicentis Apollodorum Lacratidi dedisse *die tochter seiner halbschwester*. Orator enim perspicue indicat Apollodori matrem post Thrasyli prioris mariti mortem Archedamo nupsisse (§ 7), ex quo matrimonio filia ea nata est, quae ab Apollodoro despondetur; haec autem, ut oratoris utar verbis, erat ἐκείνου (scil. Archedami) θυγάτηρ, ἐμὴ μήτηρ, αὐτοῦ (scil. Apollodori) ἀδελφή.

2) p. 42, § 45.

3) [Demosth.] adv. Boeot. de dote p. 1010, § 7.

4) de Men. her. § 3 sqq.

onem in Demosthenis oratione adversus Leocharem ducimur. Orator narrat[1]) Euthymacho Otrynensi tres filios natos esse Midylidem Archippum Archiadem et filiam nomine Archidicen. Hi mortuo patre Archidicen Leostrato Eleusinio elocant; ex iis vero tribus Archippus trierarchus Methymnae diem supremum obiit. Nullum hoc loco est dubium, quin Archippus demum post sororis matrimonium occiderit; at postea[2]) eandem rem iterum enarrans orator dicit Midylidem et Archiadem sororem Leostrato elocasse. Perspicuum est tertium fratrem h. l. omitti non potuisse eiusque nomen propter similitudinem literarum ductuum in orationis exemplaribus periisse.

De avo neptem despondente dicere supersedeo; exemplum autem nullum ad manum est praeter Diodoti filiam[3]), quae a Diogitone tutore et eodem avo elocata esse debat Hegemoni; eius enim fratres, cum ipsa nuberet, nondum sui iuris erant. Magis igitur ut tutor patris vice fungens quam ut avus id fecisse videtur Diogiton.

Quamvis a iure naturali alienum videatur, constat tamen civi attico licuisse despondere uxorem suam alteri. Demosthenes huius instituti mentionem facit; exempli gratia enim narrat[4]) Strymodorum Aeginensem uxorem suam Hermaeo liberto dedisse in matrimonium; hac vero mortua filiam suam eidem dedisse uxorem. Haec et talia enarrans orator studet Pasionem excusare, qui Phormioni liberto uxorem suam desponderit. Conferri potest quod Pericles fecisse narratur: hic scilicet uxorem suam alteri tradidit non invitam, cum neutri admodum placeret cum altero vivere[5]).

Attamen non omnes mariti tali modo uxores suas alteri tradere poterant. **Hoc enim iure non gaudebant, nisi ipsi**

1) p. 1083, § 9
2) p. 1085, § 17, ubi igitur post ὁ Μειδυλίδης addas καὶ ὁ Ἄρχιππος.
3) Lys. c. Diogit. § 6 sqq.
4) pro Phorm. p. 953, § 29.
5) Plut. v. Pericl. c. 24.

uxorum κύριοι essent. Timocrates [1]) enim sororem despondisse Protomacho narratur, ex quo nata est filia. Protomachus vero cum pauper esset et epiclerum locupletem nancisci posset, persuasit Thucrito familiari suo suam ducere uxorem. Thucrito igitur nupsit illa Timocratis soror, sed non ab ipso Protomacho ei desponsa sed a fratre Timocrate utroque patruo Thucriti praesente et aliis testibus. Plane eodem modo Onetor [2]) sororem, quam prius Timocrates duxerat, Aphobo despondet, et Menecles [3]) apud Isaeum uxoris fratres rogat ut hanc alteri despondeant, quod mox ita fit.

Etsi filiae hareditariae a patre secundum leges desponsae iam nupsissent, harum matrimonium tamen solvi poterat genere proximi rogatu, ut mox videbimus, cum de epidicasia agemus.

Vidimus igitur feminas secundum leges desponderi potuisse a patre a fratre eodem patre nato ab avo aut denique ab eo, in cuius manu esset.

Res est molestissima legum atticarum aetatem velle indagare. Certe huius origo nusquam a veteribus traditur, sed cum arctissime cohaereat cum ceteris legibus, quae de feminis despondendis sint institutae, quarum eam, qua genere proximus iubetur aut ipse ducere filiam orbam ex infima quatuor classium aut elocare [4]), a Diodoro Siculo [5]) et Aristophane grammatico [6]) Soloni tribuendam esse discimus, etiam Solon nostrae legis auctor habendus erit. Attamen ne ita quidem omni vitio nos vacare verisimile est, cum notissima sit res, quam studiose et oratores et reliqui legum quas laudent originem ad summum legislatorem referant; quo studio in primis recentiores incitati videntur ad fingendas et Soloni obtrudendas leges,

1) [Demosth.] adv. Eubul. p. 1311, § 40 sqq.
2) Demosth. adv. Onet. I, p. 866, § 7.
3) de Men. her. § 8.
4) [Demosth.] adv. Macart. p. 1067, § 34.
5) XII, 18.
6) Eustath. ad Il. ψ, 449.

de quibus numquam hic cogitaverit. Huius rei exempla cumulare nunc parco; non vero possum, quin leviter Plutarchum castigem, qui serio narrat [1]) a Solone institutum fuisse *τρὶς ἑκάστου μηνὸς ἐντυγχάνειν πάντως τῇ ἐπικλήρῳ τὸν λαβόντα.* Ut vero saepius, sic etiam hoc in argumento fraudis an erroris dicam se ipse arguit; ius enim, quod hoc loco de epicleris tantum voluisse dicit, in Amatorio [2]) omnibus nuptis datum fuisse tradit.

Sed ex diverticulo ad ius atticum redeamus et videamus Atheniensibus licuisse opes suas per testamentum cuicunque vellent dare, si filium nullum relinquerent; sin autem filiam relinquerent, ita ratam fuisse voluntatem defuncti, ut is, qui hereditatem eius adiret, una quoque filiam in matrimonium duceret [3]).

Legem hanc comparantes legi, ex qua licebat marito uxorem cuius ipse *κύριος* esset, alteri despondere, novae legis originem reperimus, quae statuebat moribundo per testamentum licuisse despondere uxorem cuius ipse *κύριος* esset et filias, cuius rei exemplum habemus Demosthenis patris, qui per testamentum filiam cum duobus talentis Demophonti elocavit, uxorem autem cum octoginta minarum dote Aphobo [4]). Ita Pasion, ut brevi antea diximus [5]), per testa-

---

1) v. Solonis c. 20.

2) c. 23

3) Is. de Pyrrh her. p. 44, § 68; cf de Arist. her p 61, § 13. Malo Meier (Meier und Schoemann, der att. proc. p. 460) huic legi comparat legem in [Demosth] orat. adv. Macart. p. 1667, § 51 servatam, initium autem ipsum legis *ὅστις μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ* eum impedire debuerat, quominus ius hereditarium ab intestato confunderet cum testamentario iure; lex vero l. l. memorata arctissime cohaeret cum sequente de puellis orbis ex infima classe, de qua lege conferenda sunt, quae S. A. Naber disputavit in Mnemos. I, 092, qui coniecit compilatorem Isaei lege usum esse ad novam fingendam plane diversam eb exemplo, quod sibi sumsisset.

4) Demosth. c. Aphob. I, p 814, § 5, II, p. 840, § 15

5) cf supra p 11, n. 4.

mentum uxorem suam Phormioni elocasse dicitur [1]). Haec tamen sponsalia non valuisse, nisi moribundus ipse uxoris κύριος fuisset, docet Apollodorus [2]). Hanc ob causam neque huc facit Diodoti testamentum [3]), qui mandaverat, si quid sibi accidisset, dotem unius talenti dari uxori et ea quae in aedibus essent, talenti quoque dotem filiae suae. Diodoti enim uxoris pater Diogiton etiam tum erat inter vivos; uxoris κύριος igitur non erat Diodotus et potuit tantum mandare de dote, quam ex suis facultatibus datum iri volebat futuro uxoris suae marito, nihil vero de eo, cui eam elocatum iri volebat, quod neque fecit.

Superest ut breviter dicam de alio quodam despondendi genere. Proximus cognatus scilicet debebat aut ipse ducere aut cum dote elocare filiam orbam ex infima civium classe, quae θῆσσα dicebatur. Hoc autem officium ab oratore [4]) inter illa numeratur, quae cognatis necessario sunt facienda. Ubi agemus de iuribus coniugum inter sese [5]), haec lex amplius tractanda erit; nunc ex Terentio leviter summa eius capita attingam, hic scil. in Phormione [6]):

> lex est ut orbae, qui sunt genere proxumi, iis nubant,
> et illos ducere eadem haec lex iubet.

Alio autem loco [7]):

> verum si cognata est maxume
> non fuit necesse habere: sed id quod lex iubet dotem daretis, quaereret alium virum.

Iamiam ultro progressi sumus ad alterum matrimonii ineundi modum. Ut enim genere proximi debebant aut ducere

---

1) Demosth. pro Phorm. p. 946, § 8; cf. p. 963, § 28 sqq.
2) [Demosth.] c. Steph. II, p. 1133, § 16.
3) Lys. c. Diogit. p. 896, § 6.
4) [Demosth.] adv. Macart. p. 1067, § 63.
5) infra lib. I, II, 1.
6) I, 2, 73.
7) II, 1, 65; cf. II, 3, 63.

aut elocare epiclerum pauperem, sic licebat iis divitem in iure sibi petere. Cum enim legislator in lege multa mandaverit, quae cognati necessario facere debeant, multa quoque emolumenta iis tribuere non recusavit.

B. De modo matrimonii ineundi, qui dicitur ἐπιδικασία.

Ἐπιδικάζειν, adiudicare, archon aut iudices dicuntur, qui inquisito petitoris iure huic alicuius rei possessionem tribuunt; plerumque autem de hereditatibus et hereditariis filiabus dicitur, quae adiudicantur iis, quibus ius est in eas[1]). Ἐπιδικάσασθαι dicitur is, qui petit ut sibi aliquid adiudicetur[2]) aut impetrat[3]). Hereditates autem ipsae et filiae hereditariae ἐπιδικασθῆναι dicuntur[4]). Actio ipsa ἐπιδικασίας nomen gerit[5]), et res huiusmodi actione petenda ἐπίδικος vocatur[6]); quae tamen in iure nec adiudicata est nec adiudicari potest ἀνεπίδικος nominatur[7]); hinc bona paterna, in quae sine epidicasia succeditur ἀνεπίδικα dicuntur[8]).

His praemissis videamus, quaenam Athenis valuerint iuris

1) Is. de Hagn. her. p. 86, § 26: ἀπόδοσθ' ὑμεῖς ἐπιδικάσαντές μοι τοῦτον τὸν κλῆρον.

2) Is. de Pyrrhi her. p. 43, § 59: οὐδενὶ ἐπιδικάζεσθαι τῶν πατρῴων προσήκει. Id. de Arist. her. p. 80, § 12: οἷς προσήκει τῆς ἐμῆς μητρὸς ἐπιδικάσασθαι.

3) Is. de Phil. her. p. 62, § 61: τοῦ γὰρ Φιλοκτήμονος κλήρου ἂν μὲν ἐπιδικάσηται ὅδε ὑμῶν αὐτὸν ταμιεύσει τὰ προσταττόμενα λειτουργῶν, ὥσπερ καὶ νῦν καὶ ἔτι μᾶλλον.

4) Is. de Phil. her. p. 62, § 51. καὶ πότερον δεῖ τὴν ἀδελφὴν — ἢ γνησίαν οὖσαν ὑφ' ὑμῶν ἐπιδικασθεῖσαν συνοικεῖν ὅτῳ ἂν ὑμῖν δοκῇ.

5) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1086, § 13: Ἀρχιάδης ὑπὲρ οὗ τοῦ κλήρου τὴν ἐπιδικασίαν ποιούμεθα νυνί.

6) [Demosth.] adv. Macart. p. 1074, § 63: ἐπιδίκου ὄντος τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου. Is. de Pyrrhi her. p. 44, § 64: τὰς — δοθείσας τοῖς ἐγγυτάτω γένους ἐπιδίκους ὁ νόμος εἶναι κελεύει.

7) Apollod. [Demosth.] c. Steph. II, p. 1135, § 22: ἀνεπίδικον μὴ ἐξεῖναι ἔχειν μήτε κλῆρον μήτ' ἐπίκληρον.

8) Is. de Pyrrhi her. p. 44, § 59; de Cir. her. p. 72, § 34.

instituta de matrimonio per epidicasiam contrahendo, quorum rationem Isaeus in oratione de Pyrrhi hereditate nobis aptissime exponit. Endius Pyrrhi filius adoptatus huius filiam spuriam Philen desponderat et ipse in patria adoptantis bona successerat. Post Endii mortem huius bona pervenerunt ad matrem et fratres. Philes vero avunculi contendunt eam non spuriam esse, atque igitur iniuria Pyrrhi opes ab Endio et matre et fratribus vindicataa esse. Orator autem et aliis argumentis iudicibus persuadere conatur Philen revera spuriam Pyrrhi fuisse filiam et eo, quod ea quae fieri deberent, si quis filiam hereditariam reliquisset, post Pyrrhi mortem non facta essent. „Constat enim," inquit [1]), „si filiam heredem reliquisset, certissime cognitum habuisse Pyrrhum alterutrum horum eventurum esse, ut aut nostrum, qui cognatione proximi sumus, aliquis illam filiam duceret sibi a iudicibus adiudicatam, aut, si nostrum nemo eam ducere vellet, ut horum avunculorum qui nunc testimonia praestant alter aut reliquorum cognatorum aliquis pari modo eam uxorem haberet universa hereditate in iure petita." Nulla haec interpretatione egent, docent enim luce clarius o m n e s f i l i a s h e r e d i t a r i a s p e r e p i d i c a s i a m a g e n e r e p r o x i m i s p e t i p o t u i s s e.

Omnes inquam [2]); nam matrimonium vel iustissimo modo contractum, cuius pater ipse auctor fuerat, post huius mortem solvi poterat voluntate eius, qui proximus cognatus erat et ipse filiam ducere volebat, n i s i p a t e r t e s t a m e n t o f i l i a e m a r i t u m h e r e d e m s c r i p s i s s e t a t q u e a d e o a d o p t a s s e t. Quod dixi Isaeus probat [3]) dicens leges edicere, ut mulieres ab ipsis patribus elocatae et iam in matrimonio degentes, cum pater earum decesserit nulla prole mascula genuina relicta proximis genere in matrimonium a iudicibus

1) p. 45, § 74.
2) cf. Apollod. [Demosth.] c. Steph. II, p. 1135, § 22.
3) de Pyrrhi her. p. 44, § 64.

adiudicentur. Quod saepius factum esse idem orator in proxime sequentibus refert.

Etiam in alia oratione Isaeus hac de lege abunde agit. Aristomenes [1]) filiam Aristarchi fratris cum dote despondit, licet huic ius esset succedendi in bona paterna et ipsa a proximo genere per epidicasiam peti posset, nam erat epiclerus; suam vero ipsius filiam Aristomenes cum Aristarchi opibus despondit Cyronidi, filio quidem Aristarchi, sed in aliam domum adoptato, qua adoptione iure attico ei nullum ius erat in bona paterna. Ex hoc Cyronidis cum Aristomenis filia matrimonio duo nascuntur filii, quorum alter Aristarchus iunior dolo malo in senioris Aristarchi bona adoptatur. Primum igitur summa iniuria Aristarchi filia paternis bonis eiecta est, tum Aristarchus iunior adoptione nequaquam legitima his bonis potitus est. Videri possit Aristarchi senioris filiae maritus vecors et ignavus, quod non conatus sit in iure suae uxoris nomine petere Aristarchi bona, at ii, qui ea sibi vindicarant simul huius generis proximi erant; hi igitur, si maritus in iure contra ipsos ageret, per epidicasiam eam cum paternis opibus petere poterant. Haec fuit causa, ob quam maritus ille non litigaret. At tibi oratorem ipsum promam [2]): »pater nempe meus (Aristarchi senioris filiae maritus) ea lege sibi desponderi matrem meam passus fuerat, ut dote contentus esset; ipsam hereditatem non poterat ab illis redigere, qui eius emolumenta percipiebant; quoties enim suadente matre huius rei mentionem faceret, hi minabantur se uxorem ipsius in iure sibi petituros esse, si nollet eam sub condicione dotis habere. Pater itaque, ne matre privaretur, vel passus esset eos bonorum fructus percipere, etiam si duplo ampliora fuissent." Itaque Aristarchi filia suis privata vitam degit.

In comoedia cum persaepe res agantur iuris instituta expli-

---

1) Is. de Arist. her p. 80, § 6.
2) p. 81, § 19.

cantes, ex Aristophanis Vespis iudicem Philocleonem citabo, qui Atheniensium mores illustret[1]):

κἂν ἀποθνήσκων ὁ πατὴρ τῳ δῷ καταλιπὼν παῖδ' ἐπίκληρον
κλάειν ἡμεῖς μακρὰ τὴν κεφαλὴν εἰπόντες τῇ διαθήκῃ
καὶ τῇ κόγχῃ τῇ πάνυ σεμνῶς τοῖς σημείοισιν ἐπούσῃ
ἔδομεν ταύτην ὅστις ἂν ἡμᾶς ἀντιβολήσας ἀναπείσῃ.

Poëta et orator admodum similia narrant. In fabula enim genere proximus in iure petere dicitur ut epiclerus sibi adiudicetur, sed iudices, penes quos est iudicare sitne testamentum ratum necne, id non curant, et adiudicatur ex ipsorum iudicum sententia filia ei ex proximis genere ὅστις ἂν αὐτοὺς ἀντιβολήσας ἀναπείσῃ. In oratione autem epiclerus fraude bonis suis eiicitur. Sic voluntas patris nihili habetur, nec spreta a iudicibus iustitia quidquam prodest quod filiam per testamentum cum opibus desponderit pater et futuri nepotis adoptione caverit ne genere proximus filiam sibi petens huius matrimonium solvat[2]).

Cum pater in testamento heredem non scripsisset genere proximo i u s e r a t filiae hereditariae petendae; leges vero hunc non c o g e b a n t id facere, ut discimus ex loco Isaei, quem proxime laudavi. Quid enim opus fuisset ordinem addere, quo proximi genere sese iure sequerentur in petendo, nisi primo negante secundo idem ius esset, quem mox tertius exciperet? Idem alio eiusdem oratoris loco probatur[3]). Non enim tam leniter orator rem egisset neque, si lex Aristomenem coëgisset fratris sui filiam ducere, his usus fuisset vocabulis »mater mea patre Aristarcho et patre Demochare mortuis heres ex asse facta est bonorum paternorum, Aristomenes autem Aristarchi frater n o n c u r a n s e a m a u t s i b i i p s i p e r e p i d i c a s i a m p e t e r e a u t f i l i o s u o patri meo eam despondit;" sed, opi-

1) vs. 583 sqq.
2) Is de Pyrrhi her. p 45, § 73 sqq.
3) de Arist. her. p 80, § 5.

nor, vehementissime invectus fuisset in eum, qui leges prorsus nihili fecisset.

Genere proximos sese quodam ordine sequi dixi, in quem nunc inquirendum est. Rerum natura fit, ut hac in re aliquatenus idem spectetur ordo atque in iure hereditario. Attamen nonnihil interest; in epicleri enim epidicasia nil videtur differre ducatne proximus originem a maribus an a feminis, quod aliter se habet in iure hereditario, neque in epidicasia proximis adnumerandi sunt defuncti cognatae neque parentes. Iudicia tamen, quibus hunc ordinem nobis informamus, paucissima sunt [1]); tribus enim tantum locis Isaeus, et ne iis quidem satis lucida, de eo loquitur. In oratione de Pyrrhi hereditate, quem locum iam semel iterumque laudavi, primi dicuntur filii sororis patris defuncti ipsius (ἀδελφιδοῖ); sequuntur huius avunculi, quos reliqua genere proximorum turba excipit. Altero loco [2]) docet fratrem germanum patris defuncti primum esse, tum eius filium, ita ut videamus priorem locum non adhibendum esse altero neglecto, nam ex duobus locis comparatis apparet hunc fuisse ordinem: primum fratres defuncti; tum filii huius fratrum aut sororum, deinde avunculi ipsius defuncti; denique unusquisque genere proximorum, quos omnes recensere taedeat, nec quemquam hunc sibi ordinem non posse informare censeo. Huic tamen ordini adversatur locus ex oratione de Cironis hereditate [3]). Ciron mortuus est filia heredltaria, oratoris matre, relicta. Iure autem ἀγχιστείας Cironis ἀδελφιδοῦς huius bona sibi petivit, quod iniuria factum esse orator demonstrat et propter alia et propterea, quod genere proximus numquam posset potiri huius epicleri opibus, quippe

1) cf omnino Bunsen, de iure hered. Athen. p. 49, qui exposita ordine novam controversiam creavit, cuinam scilicet epiclerus adiudicanda esset, si plures, qui eodem essent gradu, eam peterent; quod cum fieret, Bunsen statuit eam adiudicatam esse maximo natu ex his.

2) de Arist. her. p 60, § 5.

3) p 72, § 31.

quarum domini essent huiusce nati, cum lexiarchico libro inscripti essent. Haec omnia iuri attico conveniunt. In reliquis vero orator lapsus esse videtur; dicit enim: »nam si mea mater, quae Cironis est filia, adhuc superesset et Ciron decedens nihil de sua hereditate mandasset et hic (is, qui petit hereditatem) non esset Cironis ἀδελφιδοῦς sed frater Cironis, ius quidem ei foret mulierem (Cironis filiam) in matrimonio habere; attamen ideo non foret ille Cironis bonorum compos, sed liberi ex ipso et Cironis filia nati, postquam viri facti essent." Haec ita dicta sunt, quasi ἀδελφιδοῖς non esset ius in epiclerum, at vide ne hic idem obtinest, quod in priore Isaei loco, ubi primus ex ordine omissus est, quia de eo sermo non posset esse, quippe qui non exstaret. Sic nostro loco ignotum est fuerintne Cironi alii quoque fratres, qui igitur ἀδελφιδοῦν in epidicasiae ordine rectissime praecederent. Quod si revera ita sese habuerit, Isaeus omni culpa vacat et merito hoc usus est argumento. Dummodo ne inde probare studeamus fratris aut sororis defuncti filio ius in epiclerum non fuisse.

De industria neglexi huc usque legis formulam ipsam commemorare, quae tamen apud veteres occurrere videtur [1]). Ne propterea sim in culpa. Exemplis et testimoniis idoneis rem illustrare malui quam ex turbido fonte disputandi initium facere. Praeteres nullam fidem habeo iis legum formulis, quae in oratorum reliquiis αὐτοῖς ῥήμασι leguntur et ea, quae mihi usui possent esse, a recentioribus confectas esse semper demonstrare conarer, nisi alii mihi hunc laborem praeripuissent, quod hac de lege iam a Frankio [2]) factum esse video.

---

1) Apollod. [Demosth.] c. Steph. II, p. 1134, § 18: ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρός, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι.

2) Jenische Zeit. 1844, p. 741 sqq.

Superest ut moneam epidicasiae actionem deferendam fuisse ad archontem ex lege, qua hic iubebatur curam gerere epiclerorum orbarum, ut ab Apollodoro discimus[1]): »lex iubet epidicasiam de omnibus epicleris fieri oportere et civibus et peregrinis; ac de civibus causam introducere oportere archontem et curare, de peregrinis autem polemarchum, ac sine epidicasia non licere vel hereditatem habere vel epiclerum."

Epidicasiae actionem ulterius persequi extra familiarum iuris fines iacet[2]), et progrediendum videtur ad instituta de connubio.

3.

DE CONNUBIO INSTITUTA.

Matrimonium tantum inter eos contrahi potest quos quominus id faciant nulla lex impedit, quibus igitur inter sese est ἐπιγαμία, id est connubii societas.

Duplex autem genus est legum, quae matrimonium iniri vetant, alterum ex iure civili alterum ex familiarum iure originem ducens.

A. De matrimonio iure civili vetito.

Apollodorus in oratione contra Neaeram[3]) legem laudat, quae peregrinam cum cive attico per fraudem et dolum malum matrimonium inire vetat et civem atticam cum peregrino; si qui contra hanc legem fecerint, contra eos publicam actionem apud the-

---

1) [Demosth.] c. Steph. II, p. 1135, § 22; cf. [Demosth.] adv. Laer. p. 940, § 48.

2) cff Meier und Schoemann, der att. proc. p. 468 sqq et Platner, der proc. II, p 255 sqq

3) [Demosth.] p. 1350, § 17.

smothetas instituI et, si causa cadant, eos in servitutem vendi iubet lex.

Nusquam praeterea huius legis mentio fit, quod graviter doleo; nunc enim bene multa quae inde fuerint consecuta divinanda relinquuntur. Nec ullum testimonium invenitur quo diiudicemus utrum lex attica revera sese ita habuerit, ut hoc loco memoriae prodita est, an secus. Alio loco [1]) orator idem argumentum tractans, dicit eum qui peregrinam filiam pro sua desponderit civi attico vel in summo discrimine versari. Hinc iterum apparet apud Athenienses tunc temporis connubium inter cives et peregrinos non fuisse, et praeterea τὰς ἐσχάτας ζημίας statutas fuisse contra eos, qui contra hanc legem egissent; erat enim iniusta insinuatio in civitatem atticam.

In Apollodori oratione utroque loco additae sunt legis formulae; priore autem: ἐὰν δὲ ξένος ἀστῇ συνοικῇ τέχνῃ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν· ἐὰν δὲ ἁλῷ πεπράσθω καὶ αὐτὸς καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ καὶ τὸ τρίτον μέρος ἔστω τοῦ ἑλόντος. ἔστω δὲ καί, ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταὐτά· καὶ ὁ συνοικῶν τῇ ξένῃ τῇ ἁλούσῃ ὀφειλέτω χιλίας δραχμάς. Altero autem loco haec leguntur: ἐὰν δέ τις ἐκδῷ ξένην γυναῖκα ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ ὡς ἑαυτῷ προσήκουσαν, ἄτιμος ἔστω καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσία ἔστω καὶ τοῦ ἑλόντος τὸ τρίτον μέρος. γραφέσθων δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας οἷς ἔξεστι, καθάπερ τῆς ξενίας. His legum formulis nihil proficimus; nam quae ex Apollodori verbis iam didicimus, ea tali lege confirmari nobis non opus est, quae vero praeterea in priore lege leguntur nescio an male sese habeant; qui enim iuris atque institiae rationi conveniret eum qui mulierem peregrinam huius dolo et fraude circumventus duxisset multari mille drachmis? Equidem eam legem flocci non facio. Praeterea iniustum foret civem atticum qui peregrinam duxisset multari, cum civis attica

1) p 1363, § 52

quae peregrino nupsisset non multaretur; de hac enim in lege nihil statutum est. In iis autem, quae altera legis formula habet, si verum legis exemplum referrent, haud scio an inter ἐὰν δέ τις et ἐκδιδῷ ξένην γυναῖκα non praetermissa fuissent vocabula Ἀθηναῖος ὤν, quae nec orator ipse omisit neque omitti possunt; nam, si qui despondet ipse civis atticus non est, verba ὡς αὐτῷ προσήκουσαν omni carent sententia, nec ulla causa est, propter quam in ius vocetur; nulla enim fraus nullus dolus ab hoc committitur et ille potius vituperandus est qui peregrinam duxit antea non inquisita civitate nec despondentis nec desponsae. Etiam finis formulae recentiorem manum arguere videtur: γραφέσθων δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας οἷς ἔξεστιν. In priore autem melius scriptum est: γραφέσθω δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος τῶν Ἀθηναίων οἷς ἔξεστιν [1]).

Quod legislator addidit per fraudem et dolum malum, id propterea factum videtur, ne is qui se ipsum civem ratus civem atticam duxisset et postea certior fieret se civem non esse poena legitima teneretur, neque ille in culpa esset cui uxor revera peregrina tamquam civis attica desponsa esset.

Connubium tamen populi beneficio dari poterat et datum est vel universis gentibus et civitatibus. Demosthenis psephismate Thebanis concessum esse brevi ante pugnam ad Chaeroneam notum est [2]). Isocrates auctor est connubium datum esse Plataeensibus [3]), de quibus mox amplius videbimus. Ex Lysiae pulcherrima oratione ὑπὲρ τῆς πολιτείας [4]), cuius magno harum literarum damno fortuna et temporis iniuria maximam partem nobis abstulit, apparet Athenienses etiam Euboënsibus epigamiam dedisse.

1) Ex iis, quae h. l. demonstravi sequitur iis quae Meier (Meier und Schoemann, der att. proc. p. 350) ex his formulis petitis argumentis docet non temere subscribendum esse, neque iis quae Platner (der proc. II, p. 88 sqq.) tradit.

2) Demosth. de cor. p. 291, § 187

3) Plat. p 306, § 51.

4) p 919, § 3.

Inter δημοποιήτους et cives atticos fuisse connubium ex decreto de civitate cum Plataeensibus communicando apparet [1]; in eo decreto enim *sancitum erat de iis et pro re publica et pro diis et cautum ne cuiquam eorum in sortitione novem archontum aut ullius sacerdotii locus detur.* Quid ex prioribus vocabulis eliciendum sit non difficile est dictu, illa *pro re publica et pro diis*, ὑπέρ τε τῆς πόλεως καὶ τῶν θεῶν, significant ita omnium iurum et civilium et divinorum communionem datam esse. Liberis vero eorum, si e cive attica suscepti essent et legitime desponsa, etiam licuit participes esse sortitionis archontum omniumque sacerdotiorum. Minime autem opus fuit singillatim in decreto de civitate donanda addi connubii ius una cum civitate tributum esse; satis enim apparet inter cives adscitícios et veteres matrimonia iniri potuisse. Isocrates [2]) tamen Plataeenses ita dicentes facit: »propter connubium datum ex vestris civibus (ἐκ πολιτίδων ὑμετέρων) nati sumus," unde videri possit praeter civitatem etiam ἐπιγαμίαν Plataeensibus datam fuisse. Quod quomodo intelligendum sit explicabo. Bello peloponnesio ineunte, cum Plataeae dirutae essent et pauci miseri istam affugissent cladem ad Athenienses, qui iam antea civitatis ius plataicum quoddam instituisse videntur [3]), novum psephisma de Plataeensibus factum esse veri simile est [4]), quo plura civibus adscitíciis iura tribuebantur quam quae antea tributa erant, ita ut nihil fere interesset inter horum Plataeensium qui civem atticam rite desponsam duxerant posteros et Athenienses ipsos. Liquet tamen ex Aristophane [5]), etiam magis vero ex Isocratis loco laudato Plataeenses aliquatenus separatos mansisse a civibus atticis; si enim Athenienses fuissent optimo iure, id professi

1) Apollod [Demosth.] c. Neaer. p. 1381, § 103
2) Plat. p. 306, § 51.
3) Thuc. III, 55 et 63
4) Boeckh, Staatsh. d. Ath. I p. 366
5) Ranae, vs. 694.

essent nec sategissent dicere: ἐκ πολιτίδων ὑμετέρων γενόναμεν, ut nunc est; et Aristophanis verba καὶ Πλαταιᾶς εὐθὺς εἶναι, quae viginti fere annis post Plataeas a Lacedaemoniis subversas dicta sunt, ostendunt revera aliquid interfuisse iotar Athenienses et Plataeenses. Ei autem, qui Athenis nati erant ex cive atheniensi et plataica, hi Athenienses erant et postea perpetuo Athenis manserunt; qui vero ex cive plataeensi et attica nati erant, hi se Plataeenses putabant et patria restituta Plataeas reverterunt, utpote patrum suorum civitatem. Post reditum vix tredecim anni praeteriere, cum Thebani Plataeas invaserunt et cives coëgerunt iterum ad Athenienses confugere; hi miseri autem rectissime, quo vim suae petitioni adderent, dicere potuerunt: ἐκ πολιτίδων ὑμετέρων γεγόναμεν. Quod autem Isocrates addidit διὰ τὰς ἐπιγαμίας τὰς δοθείσας, hac in re certissime illud beneficium respexit, quo patres in urbem recepti et civitate donati erant; nam proficiscentibus Plataeensibus connubium datum fuisse singulari populi decreto nusquam testantur nobis veteres; sin vero quis perhibeat hoc tamen fieri potuisse et hoc decretum nunc a Plataeensibus putari, huic mihi adversari liceat, cum anni, qui inter Antalcidae pacem et Thebanorum oppugnationem praeteriere pauciores fuerint, quam ut, si tunc re vera connubium datum fuisset, dici potuisset: vestris civibus orti sumus propter connubium concessum. Isocrates autem h. l. non fefellit oratorum more, sed in eo reprehendendus est, quod civitatem olim cum iure connubii datam hoc loco tantum τὰς ἐπιγαμίας τὰς δοθείσας dixerit.

Non solum universis civitatibus connubium dari solebat, sed etiam singulis, iis scilicet, qui populi beneficio cives facti erant. Ita Iphicrates filiam regis Cotyis duxit uxorem [1]), quem Athenienses civitate donavarant [2]), quo fieri poterat, ut eius filiae, cum attico civi nuberet, matrimonium ratum esset.

---

1) Cornelius in vita, c. 3; Demosth. c. Aristocr. p. 663, § 128.
2) ibid. p. 858, § 118.

Cum ἐπιγαμία sit ius, quo iustum metrimonium contrahitur inter cives duarum civitatum aut inter singulos, qui cives facti sunt et eos, qui civitatem concesserunt, non dubito affirmare et civi eius civitatis, quae connubium dedisset, licuisse sibi ex altera civitate coniugem petere et huius civitatis civi ex ea civitate, quae ius connubii tribuisset, at tantum in hac civitate. Quod dixi exemplo illustrabo: censeo Athenis, postquam Thebanis connubium datum fuerit, licuisse civi thebano matrimonium inire cum cive attica et civi attico cum cive thebana, non vero Thebis.

Hinc sequitur quaesitum esse a multis fueritne connubium semper vicissim datum; qua de re nihil certi statui potest, nam antiquorum testimonia nihil nos docent. Constat Euboënsibus datam esse ἐπιγαμίαν, et Lysias [1]) hanc commemorare videtur ut ostendat Athenienses semper curasse ne civium suorum numerus imminueretur. Connubium mutuum autem id nominandum est, quo liberi nati ex nuptiis civium duarum civitatum civitatem patria sequuntur, nam qui ex cive attica et peregrino, cui datum esset connubium, nati essent, non erant Athenienses; Plataeenses enim, de quibus brevi antea dixi, non habendi sunt Athenienses. Si igitur tot Euboënses duxissent virgines athenienses, quot cives attici virgines ex Euboea, ἐπιγαμία mutua concessa nec ad augendum nec ad imminuendum civium numerum quidquam valuisse videretur. Sin vero statuendum est ἐπιγαμίαν e solis Atheniensibus concessam fuisse, in hunc tamen modum ut liberi ex cive attico et euboica uxore nati Athenienses essent, numerus civium non magis augetur, nisi statuas Athenienses, qui in posterum euboicas ducerent uxores, hac libertate non concessa omnino matrimonium inituros non fuisse, aut simul novae legis vim etiam ad superiora extendas, ut ii liberi, qui tum cum ἐπιγαμίας lex ferretur iam adessent nati ex cive attico et euboica, cives continuo attici fie-

1) ὑπὲρ τῆς πολιτείας, p. 919, § 3.

rent. Hoc vero si statuendum est, rursus nihil ex Lysiae loco effici potest, nam eandem vim etiam mutua ἐπιγαμία habere potuit.

Xenophon [1]) quidem agit de ἐπιγαμίαις καὶ ἐγκτήσεσι παρ' ἀλλήλοις, quae mutua connubii et fundorum possidendorum in alterius civitatis dicione iura indicant ab Olynthiis et finitimis civitatibus foedere icto inter sese constituta; et Strabo [2]) narrat Albanos primum cum Romanis in societate fuisse, quippe qui una uterentur lingua et Latini essent; utrosque vero seorsum regnari; nihilo minus inter eos fuisse connubia inter sese [3]) et sacra communia Albae alia aequa civilia. His vero testimoniis in re nostra nihil demonstrari potest.

Contra hanc legem celeberrimus quisque Atheniensis peregrinam uxorem duxisse dicitur. Megacli Clisthenes Sicyonius filiam despondit, qua natus est ille Clisthenes, qui Athenis democratiam restituit [4]). Miltiadi Hegesipyle regis Olori filia Cimonem peperit [5]). De Themistoclis origine quae narrantur nota sunt. De his autem hoc loco quaerere non opus est, quia sunt temporum antiquiorum exempla, cum nondum vetitum esset peregrinam ducere, quod tandem auctore Pericle vetitum est. Hic enim legem tulit, ut ii solum cives attici forent, qui e duobus Atheniensibus nati essent. Iphicratis autem filius Menesthaus multo post Periclis legem natus est, sed ex filia Cotyis, qui civitate donatus erat, neque igitur hunc moramur. At duo sunt viri, qui maiores nobis molestias praebent, Antisthenes, qui matre thressa natus dicitur [6]) et Timotheus filius Cononis et thressae mulieris [7]). Hi autem, licet cives attici fuisse non videantur, re vera tamen fuerunt, quod demonstrare conabor.

1) Hell. II, 5, 19.
2) V, p. 231, c. 3.
3) οὐδὲν δ' ἧττον ἐπιγαμίαι ἦσαν πρὸς ἀλλήλους.
4) Herod. VI, 130 sqq.
5) Plut. Cimon c. 4.
6) Diog. Laert VI, 1.
7) Athen. XIII, p. 577, c. 38.

Quamquam ante Periclem lex nondum vetabat peregrinam ducere, apparet tamen iam antiquissimis temporibus oportuisse et patrem et matrem Athenienses esse, ut liberi essent cives optimo iure. Nemo enim, qui semel animadverterit patri, qui liberos in phratriam induceret iurandum fuisse se *κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους ἦ μὴν ἐξ ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς γυναικὸς εἰσάγειν* [1]), censebit haec instituta de inscribendis liberis in phratrias serioribus demum legibus facta esse. Immo vero, Solon non videtur legem tulisse vetantem matrimonium cum peregrina inire, quia cives ipsi id non facerent, neque igitur lege vetante opus esset, ubi vulgo non extra Athenas uxores suas sibi peterent cives. Cum vero postea prisci mores dilaberentur et matrimonia cum peregrinis magis in usu venirent et multi se continuo in civium numerum insinuarent, quod factum esse demonstrat eorum multitudo, qui nonnumquam civitate eiecti sunt, Pericles eam legem tulit. Cum de liberorum condicione agemus [2]), haec omnia nobis accuratius enucleanda erunt, nunc satis sit digito tantum ostendisse hanc legem postremis belli peloponnesii temporibus aliquamdiu valere desiisse et archonte Euclide (ol. XCIV, 2) legem latam esse omnes, qui ante hunc annum nati essent adnumerandos esse civibus, licet alteruter parentum tantum civis esset. Itaque etiam post Periclem i. p. belli peloponnesii posterioribus annis possunt esse nati cives ex attici civis cum peregrina aut ex peregrini cum cive attica matrimonio.

Redeamus igitur ad Antisthenem et Timotheum. Quod ad illum attinet Socratis iocus, quem Diogenes [3]) memoriae prodidit, nobis persuadet philosophum natum esse antequam Pericles suam legem tulerit; nam, cum Antisthenes in proelio tanagrensi rem strenue gessisset, Socrates dixisse fertur eum,

1) e. g. Is. de Cir. her. p. 70, § 19.
2) lib. II, 1, 1.
3) VI, init.

ex duobus Atheniensibus si natus fuisset, non ita fortiter pugnaturum fuisse. Haec, opinor, iste non dixisset nisi Periclis legem perstringere voluisset et indicare auctorem huius legis prospexisse quidem, ne cives sui cum aliis populis miscerentur nec Atheniensium dignitas atque maiestas matrimonus cum peregrinis minueretur, attamen popularium virtutem ideo augere non potuisse. Duae autem commissae sunt pugnae ad Tanagram, quibus, quod ad aetatem, Antisthenes interfuisse potest, altera ol. LXXX, 4 [1]), altera ol. LXXXVIII, 3 [2]). Si Antisthenes illi interfuit, natus esse debet diu ante Periclis legem, quae secundum Plutarchum [3]) et Philochorum [4]) lata est ol. LXXXIV, 1; sed, cum mihi quidquam concedi nolim, ponam veri similius videri eum alteri interfuisse. Vix enim credi possit Socrates ita de Antisthene locutus esse tam multo postquam ita fortem se praestitit, nec sic potuit loqui nisi Periclis institutum ei causam huius ioci praebuisset. Tum aetas quoque Antisthenis magis videtur convenire seriori pugnae, quippe qui Gorgiam audiverit et mox sese prorsus Socrati addixerit. Non equidem nescio Philostratum et post hunc Suidam narrare etiam Periclem Gorgiae discipulum fuisse [5]), quod vero quo modo sit intelligendum cum nondum constet, de Antisthene ne dubitemus, quin Gorgiam audiverit, cum ol. LXXXVIII, 2 legatus Leontinorum Athenas venisset. Quae cum recte sint disputata Antisthenis annus natalis fere ita inveniri potest, ut vel levissima fraudis suspicio sit ea definitione absit; cum enim ol. LXXXVIII, 3 fortiter ad Tanagram pugnasse dicatur et tunc temporis minimum duodevicesimum annum aetatis agere debuerit, natus esse potuit ipso

1) Diod. XI, 81
2) Thuc. III, 91
3) Plut. Pericl. c. 37.
4) Schol ad Arist. Vesp. vs 717.
5) Vide omnino S. W. Tromp, de Pericle eiusque rei publ. Ath administratione, p. 91 sq

anno, quo Pericles legem tulit, sed tute strenue unitti aetatem aliquanto magis virilem tribuere possumus, quo fit ut annus natalis eius etiam magis recedat ab ea aetate, qua non erant Athenienses nisi qui utroque parente cive attico nati essent.

Ad Cononem pervenimus, qui videtur contra legem filium ex thressa uxore suscepisse; at videbimus id factum esse eo tempore, quo propter bellum peloponnesium legem eam negligi opus erat, ita ut filius eius iis natus sit temporibus, quibus, etiamsi ex altera duntaxat parte fuerit civis haberi debeat civis, cum ante Euclidem natus fuerit.

Bello peloponnesio Conon accessit ad rem publicam [1]) et filius Timotheus, cum esset magno natu et magistratus gerere desiisset una cum Iphicrate in consilium datus est huius filio Menestheo, cum ol. CVI, 3 praetor ad Samum proficisceretur [2]), Iphicrates et Timotheus igitur fere eiusdem aetatis fuisse videntur, quod etiam probabilius fit iis, quae Cornelius Nepos memoriae prodidit de nuptiis Iphicratis filii Menesthei cum Timothei filia. Iphicratis autem ipsius prima res gesta laconicae morae caedes fuisse videtur (ol. XCVII, 4), quo tempore Menestheus verisimiliter iam natus erat thressa quidem matre et post Euclidem sed δημοποιήτου filia. Hac aetate Conon iam diu inclaruerat et cum eius filium Timotheum et Iphicratem eiusdem fere aetatis fuisse viderimus non longe aberraho a vero, si contendero Timotheum circiter ol. XC exeunte natum esse, quippe qui tempore samiae expeditionis recte dicatur magno natu esse, annum scilicet agens sexagesimum et quod superest. Praeterea in altera Nubium editione Timothei mentio fit, quod, si opus est, etiam probat, eum ante Euclidem natum esse. Cum igitur Timotheus natus sit bello peloponnesio res Graecorum turbante, duodecim fere annis ante Euclidem, non ex-

1) Cornelius, in vita c. 1.
2) id. Iphicr. c. 3, Timoth. c. 3.

pellendus est civium atticorum numero; ab altera enim parte civis erat.

Eos oratorum locos negligendos censeo, quibus sibi invicem, ut fit, originem ex iniustis nuptiis exprobrant. Aeschines, si Demostheni [1]) fidem habeas, natus est patre servo; Demosthenes autem, si Aeschini [2]), matre scythica. Oratoribus apud Athenienses omnia mentiendi fuit libera facultas, quo causae suae servirent turpissimamque adversariis adspergerent labem. Eodem fonte orta videntur, quae Suidas [3]) de Lysimacho Aristogitonis patre narrat. Hic scilicet duxisse fertur uxorem libertinam, quod matrimonium iniustum erat, nam liberti in ordinem inquilinorum transibant, quos connubio caruisse constat.

Legi atticae suam vim vindicasse spero. Post ea, quae disputavi, non opus est cum Meiero [4]) idem argumentum tractante exclamare fieri in omnibus civitatibus facinora multa capitalia, quae non puniantur. Fiunt, nec quisquam negabit Atheniensium historiam plura quam oportebat eiusmodi exempla praebere; sed nec quae tractavimus nec quae mox tractabimus facinora poena digna fuere. Meier enim l. l. ad Timocratem et Aristogitonem attendit et indignabundus rogat: »quomodo Timocratem et Aristogitonem excusemus, qui sorores suas peregrinis in matrimonium collocaverant?" Qui culpa vocat, ei excusatione non opus est. Timocratis autem facinus delicti nomine designandum esse non puto. Demosthenes enim de Timocrate haec [5]): »sororis, per lovem, praeclare curam gessit! At si etiam nihil aliud deliquisset, ob id dignus esset exitio. eam enim vendidit, non elocavit. Vestrorum enim hostium uni, Corcyraeo cuidam, urbis imperium nunc cum aliis obtinenti, qui apud istum divertebat quoties huc legatus veniebat eam-

1) de Cor. p. 270, § 129
2) c. Ctes. p. 78, § 172.
3) v. Ἀριστογείτων
4) hist. iuris att. de bonis damn. p. 47.
5) c. Timocr. p. 763, § 202

que habere voluit (quo pacto autem praetermittam), argento accepto tradidit; proinde puella nunc est Corcyrae. Eam igitur, qui sororem peregre abducendam elocasse sese dicit, vendidit revera [1]), eum vos non perimetis?" Quod tantum facinus Timocrates commiserit, ut dignus esset qui morte plectaretur luce clarius est ex oratoris verbis: vendidit sororem suam; ipse tamen Timocrates dixit se eam despondisse educendam. Minime igitur negat Timocrates se sororem suam Corcyraeo despondisse, unde apparet eum propter hanc causam in culpa esse non potuisse, nam alioqui ipse non ita sincere confessus esset se id fecisse, nec adversarius in vehementissima illa cupiditate vel ipsa sponsalia ista accusare neglexisset. At sponsalia turpiore nomine venditionis compellans ostendit non illa sed hanc poena dignam esse, nec huic locum aliud quid probare censeo nisi Athenis non licuisse ἐπ' ἐξαγωγῇ vendere sorores. Matrimonium inire cum Corcyraeo cive atticae non licuisse mihi obicitur. Ita est, sed cum accusator adeo studeat demonstrare Timocratem non despondisse, sed vendidisse sororem suam, ita ut quasi timeat ne Timocratas secundum leges sororem despondisse videatur, fere mihi persuadeo inter Athenienses et Corcyraeos connubium fuisse, quod, quamvis certi quid statuere non liqueat, suspicari tamen licet ob societatem bello peloponnesio initam [2]). Quod si ita est, Timocrates sororem suam elocavit ei cui eam elocari ius erat neque propterea culpari potest.

Etiam de Aristogitone Meier l. l. dixit; hic scil. ab oratore [3]) dicitur accusatus esse quod sororem suam ἐπ' ἐξαγωγῇ vendiderit. Equidem libentissime mihi persuadeo id omnino fieri non licuisse, cum ne patri quidem ius liberorum vendendorum esset; sed cum istae orationes contra Aristogitonem

1) ὃς οὖν τὴν μὲν ἀδελφὴν ἐπ' ἐξαγωγῇ φησὶ μὲν ἐκδοῦναι, πέπρακε δὲ τῷ ἔργῳ.
2) Thuc. I, 44 sq.
3) [Demosth.] c. Aristog. I, p. 787, § 55, cf. § 58.

inde a Dionysio Halicarnasensi [1]) usque ad nostram aetatem [2]) Demostheni abiudicatae sint et a recentiore rhetore confectae videantur, inde nihil demonstrandum est in re nostra. Deinde etiam si Aristogitonis exemplum non plane negligas, propterea ius atticum non violatum est, nam orator ipse docet istum a fratre suo accusatum esse.

Cum Pericles legem tulerit, qua sancitebatur eos tantum cives fore, qui ex duobus Atheniensibus nati essent, veri simile est utramque legem [3]), et qua Athenienses vetarentur cum peregrinis matrimonia inire et qua poena sanciretur in eum qui peregrinam pro sua filia despondisset, aut eiusdem aetatis esse aut brevi post Periclem latam esse

Inter varias civium classes connubium erat, ut apparet ex eo instituto, quo cives ex prima et secunda et tertia classe iubentur aut ducere aut elocare filias orbas ex infima classe quibus sunt genere proximi [4]). Attamen non prorsus silentio praeterennda sunt quae Plutarchus [5]) de Pallenensibus et Agnusiis tradit; inter hos autem nullum fuisse connubium narrat. Rectissime vero Meier [6]) censet cives ex his demis non solitos fuisse vicissim matrimonia inire et eorum sententiam improbat qui affirmant id lege vetitum fuisse.

Diogenes Laërtius [7]) auctor est Solonem vetuisse ne qui tutor ducat pupillorum matrem; cum de tutela dicam [8]), videbimus hoc Diogenis effatum tute posse sperni

1) Dem 57. p. 1126, 11; cf praeterea Libanii argum p. 769, 20, § 6.
2) Schaefer, Dem. u. s. z. III 2, p. 113 sqq.
3) supra p. 21, n. 3 et p. 22, n 1.
4) [Demosth] adv Macart p. 1067, § 45.
5) Theseus, c. 13.
6) Meier und Schoem der alt proc, p 350.
7) I, 56.
8) lib. III, 1, 3.

B. De matrimonio iure familiarum vetito.

His de legibus brevissimus esse possum, nam familiarum ius omnia inter cognatos et agnatos matrimonia concedit praeter adscendentium cum descendentibus et uterinorum. Licuit autem Athenis sororem non eadem matre natam in matrimonio habere, ut ex multorum disertis testimoniis apparet [1].

Fueritne annus legitimus quo matrimonium iniri licuerit, nescitur. Certe viro non licebat uxorem ducere antequam libro lexiarchico inscriptus erat. Ceteroquin testatur ipse Mantitheus [2] se duodevicesimo aetatis anno patris rogatu matrimonium iniisse. Puellas autem admodum iuvenes nuptum dari solitas esse ex Xenophonte [3] apparet.

II.

DE IURIBUS CONIUGUM INTER SESE

Iura coniugum inter sese re ipsa dividuntur in iura quae ipsos coniuges spectant et quae pertinent ad eorum opes. Hinc fit ut haec disputationis nostrae pars necesse bifariam dividatur.

1.

DE IURIBUS QUAE SPECTANT IPSOS CONIUGES.

Nulla inter futuros coniuges iura sola sponsalia efficiunt;

1) [Demosth.] adv. Eubul. p. 1304, § 21, Cornelius Nepos, praef. § 4, Cimon, c. 1; Schol. ad Arist. Nubes, vs. 1371. Copiose hac de lege disputavit Petitus, legg. att. p. 537, sq.
2) [Demosth.] adv. Boeot. de dote p. 1009, § 4
3) Oecon. III, 13

haec tum demum valere incipiunt, cum sponsus dotem accepit, nam eum qui dote accepta sponsam non duxerit lex iubebat τὴν προῖκ' ὀφείλειν ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, ut Demosthenes [1]) docet; quid haec significent infra videbimus.

In familia attica summa auctoritas erat penes maritum; uxor enim iure attico ultra frumenti medimnum contrahere non poterat [2]), unde semper in aliena manu esse debebat.

In primis autem nobis inquirendum est quatenus ipse maritus uxoris κύριος fuerit, nam, ut in superioribus [3]) iam vidimus, maritus neque per actum inter vivos neque per testamentum alteri despondere potuit uxorem, nisi ipse eius κύριος esset. Collatis iis quae de tutela apud Athenienses traduntur [4]) haec iuris regula constitui posse videtur: maritus uxoris κύριος est in iis rebus, quae ipso matrimonii tempore peraguntur; in iis vero, quae soluto demum quocunque modo matrimonio eventum habitura sunt, non amplius eius κύριος est, si femina patrem aut fratres aut avum superstites habet. Filii vero epicleri sui iuris facti matris κύριοι sunt; nec umquam huiusmodi feminae maritus sive dotis sive opum uxoris κύριος est, et tantum ususfructus et cura harum rerum penes eum est.

Marito in iure uxoris persona sustinenda erat, quod docemur ab Aristophane [5]), qui lepide Thracum effeminatum regem perstringit dicens:

> οὑμοὶ δέ γ' αὖ λέγουσιν ὡς ἀλουργίδα
> ἔχων κατάπαστον καὶ στεφάνην ἐφ' ἅρματος
> χρυσοῦ διώξει Σμικύθην καὶ κύριον.

Scholiastes, quem Suidas [6]) sequitur, ad hunc locum explanan-

1) c. Aphob. I. p. 818, § 17.
2) Is. de Arist. her. p. 80, § 10.
3) p. 11, n. 4 et 6
4) cf. lib. III, I, 2.
5) Eqq. vs. 967 sqq.
6) v. Σμηκίθης.

dum de iure attico agit et explicat, quae explicatione egere non videntur. Hoc vero nihil ad rem. Ipse poëta satis luculente nobis demonstrare videtur Atheuis mulieris in ius vocationem his verbis fieri solitam fuisse: ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος. Nemo ex poëtae vocabulis hoc non efficiet. Idem tamen scholium nondum e manibus dimittam, cum huiusmodi in ius vocationis exemplum tale addatur quale nunquam factum esse censeo. Exemplum illud est: Ἀσπασία καὶ κύριος. Aspasiam ab Hermippo accusatam defensam esse a Pericle constat [1]), sed cum ex ipsius Periclis lege vetitum esset matrimonium cum peregrina contrahi, vereor ne Pericles non ut Aspasiae κύριος sed ut eius patronus egerit. Eiusdemmodi quid de Hyperide censendum est, qui non oratoria tantum arte sed etiam mulierculae forma permotis iudicibus Phrynen capitis periculo liberavit [2]).

In iure igitur maritus uxoris personam sustinens eius κύριος est. Non multa praeterea iura inter coniuges novimus, vix enim opus esse videtur dicere Atheuis idem valuisse institutum, quod in exultis civitatibus omnibus valet, victum scilicet maritum uxori praestare oportere. Hoc tamen institutum arctissime cohaeret cum ea lege, qua is qui dote accepta sponsam non duxisset iubebatur dotem debere cum novem obolorum usura. Hoc excepto nullum institutum de iuribus coniugum inter sese lege definitum fuisse videtur. Res loquitur ipsa ea magis natura quam lege constitui. Si tamen Cratini fabula quae Πυτίνη inscripta est ad nos pervenisset, inde certiores fieremus de κακώσεως actione. Nunc autem diiudicari nequit utrum tantummodo epiclerorum an universe uxorum omnium quae a maritis non bene haberentur gratia instituta fuerit ea actio. Photius in corruptissima glossa [3]) affirmat; reliqui vero omnes de hac κακώσεως actione tacent. Qui inter veteres et

1) Plut. Per. c. 32.
2) Athen. XIII, 59, p. 590.
3) v. κακώσεως, II.

probatos auctores hac de re loquuntur [1]) nihil nos docent. Epicleri autem *κάκωσις* erat, cum genere proximus eam iniuria afficeret aut, si pauper esset, neque duceret neque cum dote elocaret. At de coniugum iuribus inter sese ne verbum quidem innotuit. Satius enim duco eiusmodi instituta omittere qualia a Plutarcho discimus [2]). Neque maiorem fidem iis tribuo quae recentiores scripserunt de causis, ob quas uxores *κακώσεως* actione contra maritos potuerint agere [3]).

Plura nota sunt de *κακώσεως* actione ipso in iure. Ea vero tractare non est huius temporis [4]). Non tamen omittendum est id iuris institutum quo sanciebatur, quid marito uxorem in adulterio deprehendenti facere liceret. Partem vero tantum tenuissimam legis explicare cogimur eamque reliquis multo minus probato testimonio confirmatam, cum hoc loco nobis tantum inquirendum sit, quid ex adulterio secutum fuerit quoad coniugum ipsorum iura spectat. Duo sunt attici oratores qui agunt de adulterio, Aeschines [5]) et Apollodorus [6]). Quae vero maxime ad rem nostram faciunt Aeschines omisit, quo fit ut ab Apollodoro discenda relinquantur. Hic autem ita: „si mulier pudicitiae suae non pepercerit, simul et mariti aedibus et urbis sacris eicitor" [7]). Dolendum est nullum amplius huius instituti testimonium superesse; hanc enim orationis partem intuentes et diligenter reputantes, quo tandem consilio orator haec qualiacunque de ea lege orationi suae inserserit,

1) e. g. Is. Pyrrhi her. p. 42, § 46, Dem. adv. Pantaen. p. 980, § 45.
2) Si lubet, inspicias vit. Sol. c. 20 et Amat. c. 23, cf. supra p. 13, n. 1 et 2.
3) Diog. Laert. IV, 7, Luc. bis Acc. c. 29; Alciphron I, 6.
4) cff. Platner, der proc. II, p. 224 sqq., Meier et Schoemann, att. proc. p. 263 sqq., p. 238 sqq., Boeckh, staatsh. der Ath. I, p. 474.
5) c. Tim. p. 26, § 183.
6) [Demosth.] c. Neaer. p. 1373, § 85 sqq.
7) Mox haec in legis formulam redacta leguntur. *ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχὸν μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί· ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω. Μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ· ἐὰν δ' εἰσίῃ, νηποινεὶ πασχέτω ὅτι ἂν πάσχῃ, πλὴν θανάτου.*

nullam iustam reperimus causam, nihil quod prudentiae nomine sit dignum, quo fit, ut dubii haereamus utrum Apollodorus sit auctor dignus, quem in attici iuris institutis indagandis et constituendis impune sequamur, an hoc de adulteriis institutum scriori cuidam rhetori debeatur, cui ius atticum cordi non esset. Lysias [1]) narrat Hipponicum uxorem propter adulterium iussisse suas sibi res habere; huic vero testimonio legis nullum indicium inest. Attamen fides nondum negata est et huic instituto et aliis bene multis, quae rectissime sciri posse videntur sed nequaquam certo sciuntur, cum testimonia nos deficiant.

2.

DE IURIBUS QUAE SPECTANT OPES.

Attico iure nulla inter coniuges erat facultatum communio. Dos [2]) numquam in mariti possessionem cedebat, nam si quis plura iniisset matrimonia, ex quibus omnibus liberos suscepisset, hi dividebant bona paterna, dotem vero maternam sibi quisque vindicabat [3]). Remotissimo tempore dotes iam dari solebant; Plutarchus enim narrat Solonem vetuisse ne darentur: »in reliquis matrimoniis Solon dotes ne darentur vetuit, vestes tres et parvi pretii utensilia praeterea vero nihil sponsam afferre iubens." In reliquis matrimoniis, inquit, nam genere proximi iubentur aut ducere aut elocare cum dote pauperes filias hereditarias. Primariam Solonis legem hoc argumentum spectantem indicare videtur Plutarchus [4]), et haud scio an ficta

1) c. Alcib. I, p. 142, § 28.

2) προίξ, etiam φερνή, ut apud Aesch. d. f. l. p. 32, § 31, sed in re antiquissima

3) [Demosth.] adv. Boeot. de dote, p. 1012, § 14 sqq.

4) Solon c. 20.

sit, nam permagna exstat exemplorum copia, quae dotis facta mentione arguunt Athenis quocunque tempore dotes dari solitas fuisse [1]; vix autem credamus eiusmodi legem exstitisse et toties non vindicatam fuisse. Denique nonnumquam, quasi rarissima sit res, mentio fit puellarum sine dote desponsarum [2], quae ἄπροικοι dicuntur [3].

De reliquis donis quae propter matrimonium dabantur exponere huius loci non est [4]. Haec vero dona nequaquam confundenda sunt cum dote, nam si quis quid nuptiarum ergo non aestimatum dederit, id ei postea repetere non licet, si forte fiat, ut aut uxor sponte sua maritum deserat aut maritus eam domo expellat [5]. Longe alia autem instituta valebant de dote, quae qualia fuerint videamus.

Dos aut ipsa dabatur sponso [6]) aut tantum foenora dotis ad eum redibant [7]. Dabatur autem testibus advocatis, cuius rei sat exemplorum exstat [8]. Nonnumquam etiam fiebat, ut pars

---

1) Boeckh, staatsh. der Ath. I, p. 668 permulta collegit exempla.

2) Lys. de bonis Arist. p. 153, § 13, Is. de Pyrrhi her. p. 41, §§ 29 et 38, [Demosth.] adv. Boeot. de dote, p. 1014, § 20.

3) Vocabulum huic oppositum ἐπίπροικος (Harpocr. v. ἐπίκληρος) senioris aetatis est. — Non possum, quin paucis opponam sententiae Grotii, qui in praestantissimo libro de Graecorum historia (III, p. 140, n. 3) haec dicit: These φερναί were independent of the dowry of the bride, for which the husband, when he received it, commonly gave security and repaid it in the event of his wife's death. Φερναί enim, de quibus Plutarchus loquitur, nihil aliud nisi dos erat, quod luce clarius apparet ex iis quae continuo sequuntur: οὐ γὰρ ἐβούλετο μισθοφόρον οὐδ' ὤνιον εἶναι τὸν γάμον, ἀλλ' ἐπὶ τεκνώσει καὶ χάριτι καὶ φιλότητι γίγνεσθαι τον ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συνοικισμόν. Grote φερνάς cum reliquis donis quae propter nuptias darentur videtur confudisse.

4) Videas, si tanti est, Harpocr. et Suid. v. ἀνακαλυπτήρια, Suid. et Hesych. v. ἐπαύλια, Hesych., Moer., Phot. v. ὀπτήρια, Poll. III, 36 et interpretes ad hos locos.

5) Is. de Pyrrhi her. p. 41, § 35.

6) s. g. id. p. 38, § 8.

7) Demosth. adv. Onet. I, p. 866, § 7 huius rei exemplum praebet.

8) Is. Ll. p. 38, § 18, p. 40, § 28, Demosth. l. l. p. 869, § 22.

tantum dotis daretur ipso matrimonii tempore altera parte in posterum promissa [1]).

Quaesitum est quanta dos vulgo fuerit. Hac vero de re certi quidquam confici nequit. Demosthenis pater filium unum et filiam unam reliquit cum circiter quatuordecim talentorum facultatibus [2]): horum duo talenta dotem filiae scripsit. Ex tredecim talentis quae Diodotus habuit unum dotis nomine filiae dari mandavit, cum haberet duos filios et filiam unam [3]). Onetori dicuntur plus triginta talenta fuisse, sororis dos unius tantum fuit talenti [4]). Nulla certa regula fuisse videtur nec quidquam eliciendum est ex hoc Isaei effato [5]). »videturne vobis ullus filius adoptatus tam fore impudens, *ut filiam sui patris genuinam alii elocaret cum dote ne decimam quidem partem paternae hereditatis assequente.*" Bene enim animadvertendum est ea quae orator nobis proponat attico iure fieri non potuisse. Si quis enim filiam genuinam relinquit et filium adoptat quem heredem scribit, hunc eam ducere diserte lex iubet. »*sine genuinis filiabus neque adoptare licet neque cuiquam quidquam suorum dare*" [6]). Mirum tamen est altero loco [7]) legi Endium spuriae filiae Pyrrhi dedisse *trium milium drachmarum* dotem, cum facultates trium talentorum essent. Iam diu obtemperatum oportuit Petito [8]) emendanti χιλίας pro τρισχιλίας, nam si Endius dedisset id quod nunc legitur, orator brevissimo intervallo post dicens eum *ne decimam quidem partem* hereditatis concessisse gravissimo usus fuisset mendacio nec

---

1) Demosth adv Spud p. 1029, § 5, Andoc c. Alcib. p 30, § 18, Plut. Alcib c. 8.
2) Demosth c Aphob. I, p 814, § 4.
3) Lys. c Diogit. p 898, § 8.
4) Demosth adv. Onet I, p. 867, § 10, p. 869, § 20.
5) de Pyrrhi her. p. 43, § 51, cf supra p. 10, n 2
6) id p 44, § 88
7) p 42, § 49.
8) legg att. p 550.

tamen quemquam fallere potuisset, cum omnes optime meminissent universas opes trium talentorum fuisse, quorum tria milia drachmarum iam sextam partem efficiunt, minime ut nunc dixisse creditur ne decimam quidem partem.

Iam attigimus legem de epicleris ex infima classe civium [1]); haec vero nunc pertractanda et quantum fieri potest illustranda est. Si Posidippi [2]) aliorumque fabulae superstites essent aut Dinarchi oratio de Aristophontis filia [3]), haud dubie inde principium duceremus huius legis exponendae; at invida aetas harum nulli pepercit. In oratione autem adv. Macartatum [4]) αὐτοῖς quasi ῥήμασι legis formula servata est, quae tamen, cum

1) p 14, n 4.

2) Harpocr v. Θῆτες

3) id. v. ἐπίδικος

4) [Demosth.] p 1067, § 54. τῶν ἐπικλήρων ὅσαι θητικὸν τελοῦσιν, ἐὰν μὴ βούληται ἔχειν ὁ ἐγγύτατα γένους ἐκδιδότω ἐπιδοὺς ὁ μὲν πεντακοσιομέδιμνος πεντακοσίας δραχμάς, ὁ δ' ἱππεὺς τριακοσίας, ὁ δὲ ζευγίτης ἑκατὸν πεντήκοντα πρὸς τοῖς αὐτῆς. ἐὰν δὲ πλείους ὦσιν ἐν τῷ αὐτῷ γένει τῇ ἐπικλήρῳ πρὸς μέρος ἐπιδιδόναι ἕκαστον. ἐὰν δ' αἱ γυναῖκες πλείους ὦσι, μὴ ἐπάναγκες εἶναι πλέον ἢ μίαν ἐκδοῦναι τῷ γένει. ἀλλὰ τὸν ἐγγύτατα δεῖ ἐκδιδόναι ἢ αὐτὸν ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγύτατα γένους ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν ἢ ἐκδοῦναι, ἐὰν δὲ μὴ ἐπαναγκάσῃ ὁ ἄρχων ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἥρᾳ. ἀπογραφέτω δὲ τὸν μὴ ποιοῦντα ταῦτα ὁ βουλόμενος πρὸς τὸν ἄρχοντα. In his dedi vs. 4 πρὸς τοῖς αὐτῆς pro vulgato πρὸς οἷς αὐτῆς. Quod alii eodem vs pro ἐὰν δὲ μὴ πλείους ὦσιν ἐν τῷ αὐτῷ γένει legere voluerunt ἐὰν δὲ πλείους ὦσιν, libentissime arripui, nam sermo est de proximis cognatis non de epicleris. Denique restabant verba difficillima μὴ ἐπάναγκες εἶναι πλέον ἢ μίαν ἐκδοῦναι τῷ γένει, ἀλλὰ τὸν ἐγγύτατα δεῖ ἐκδιδόναι ἢ αὐτὸν ἔχειν. ἐὰν δὲ μὴ κτέ, quae, ut legebantur, nihil novi legi addebant, nam initio legislator iam statuerat proximum cognatum debere ducere aut elocare θῆσσαν. Addidit vero: si plures sunt ἐν τῷ αὐτῷ γένει, suam quisque partem datis tribuat; ἐν τῷ αὐτῷ γένει significare debet in eadem gente, plures, qui eadem gradu proximi cognati sunt; si vero mulieres plures sunt, non necesse est singulos singulas, sed sufficit omnibus qui sunt eodem gradu cognationis unam elocare. Hic finis est sententiae et incipit nova pars legis: ἀλλὰ τὸν ἐγγύτατα δεῖ ἐκδιδόναι ἢ αὐτὸν ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγύτατα γένους ἢ μὴ ἐκδῷ, κτέ. Non quidem opus esse verbis quae ex priore sententia in alteram transtuli concedo, sed, cum non Solonis sed impostoris verba hac formula contineantur, nolui delere quae auctoris habita ratione non ita perverse dicta sunt, ut omnino defendi nequeant.

rectissime a recentiore falsario composita esse censeatur [1]), nobis nihil prodest nisi iu iis quae etiam aliunde nota sint. Cum autem in ipsa oratione nihil inveniatur quo lex ea fulciatur aut explicetur, ad alios confugiendum est. Plures in antiquitate fabulae exstabant quibus nomen Ἐπιδικαζόμενος erat, ut Apollodori Carystii Anaxippi Diphili Philemonis. Fieri potest ut ea Posidippi fabula quam Harpocration [2]) laudat etiam hoc in argumento versata fuerit. Harum tamen cum nulla ad nostram aetatem pervenerit, fortunae gratia factum est, quod Terentius Apollodori Ἐπιδικαζόμενον in Phormione suo expresserit; legem igitur atticam illustrare conabor ex comico latino. Leguntur autem haec [3]):

lex est ut orbae qui sunt genere proxumi iis nubant.
et illos ducere eadem haec lex iubet.

Hoc quoque nostrae legis caput in eadem comoedia invenitur [4]):
verum si cognata est maxume,
non fuit necesse habere: sed id quod lex iubet
dotem daretis; quaereret alium virum.

Quibuscum omnino conferenda sunt [5]):
id quod lex iubet
dotem dare, abduce hanc: minas quinque accipe.

Videmus igitur cum Terentio vel potius Apollodoro congruere ea quae leguntur in initio legis in oratione adversus Macartatum servatae. In fabula praeterea sermo est de alia legis parta quam suo loco [6]) tractavimus. Deinde tantum legem laudare videtur quatenus officium pentacosiomedimnorum contineat; his scilicet dos quinque minarum sive quingentarum drachmarum numeranda erat, nisi lex attica revera omnes

1) cf. Franke in Jenische Zeit. 1844, p. 742 sqq
2) v. Φῆνες.
3) I, 2, 75.
4) II, 1, 85
5) II, 3, 63.
6) p 16, n 1 sqq

proximos cognatos eandem dotem adnumerare iusserit, quod urgere nolo, sed bene attendendum est hoc etiam eos testari, qui data opera res atticas nobis snarrant. Harpocration[1] scil. ex Dinarchi oratione de Aristophontis filia et ex Posidippi fabula demonstrare conatur epicleros pauperes omnes cum quinque minarum dote elocandas fuisse proximis cognatis. Hinc fit, ut plane dubii haereamus utrum maiorem fidem tribuamus ei qui legis formulam composuerit an lexicographis. Unum tantum pro illo pugnare videtur: dos scilicet qua proximi cognati pauperem epiclerum dotare debebant conveniebat cum ratione horum redituum.

Deinde mirum est in hac lege nihil statui de eo, quod saepissime usu venisse necesse est, ut quaereretur quid faciendum esset, si proximus cognatus ipse esset ex classe θητῶν, nam proximi cognati θησσῶν fuerint quidem saepe ipsi θῆτες. Eratne his solvenda dos minoris pretii? Eranine liberi ab hoc officio? En tibi quaestiones quibus responderi non potest, nisi ex legis consilio, quas si rursa cavit ne gentes interirent et consuluit commodis ipsarum θησσῶν, non dubitaudum est quin fuerit institutum etiam θῆτας debere ducere aut elocare pauperem filiam hereditariam.

Aristophanes grammaticus[2] hanc legem a Solone institutam esse dicit, quod Diodorus[3] affirmat; ille vero addit hoc institutum ab Atheniensibus in renovatis legibus ita mutatum esse,

---

1) v. ἐπίδικος et θῆτες. Suidas (v. Θῆττα) ἐπίκληρος οὐκ ἔχουσα φερνήν, πενιχρὰ καταλειφθεῖσα ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπὸ δὲ τῶν ἀγχιστέων προικιζομένη κατὰ νόμον πεντακοσίων δραχμῶν προικί, eadem quae Harpocration. Omitto Etymologici (v. Θῆττα) auctoris testimonia ut etiam aliorum quae videas apud interpretes ad Terentii locos laudatos. Cff. etiam Pollux III, 33 at Diodorus Sic. XII, 18. In Pollucis loco (ἐκάλεσαν δέ τινες αὐτὴν καὶ π α τ ρ ο ῦ χ ο ν) quum citissime forma πατροῦχος locum cedat vocabulo vere graeca παμοῦχος, quod Cobet (N. L. p. 720) etiam restituit Herodoto (VI, 57) δικάζειν π α μ ο ύ χ ο υ πέρι ἐς τὸν ἱκνέεται ἔχειν, ἢν μήπερ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυήσῃ.

2) apud Eust. ad Il. φ, 449.

3) 11

nt quinque minae factae sint decem. Posidippum, qui circa idem tempus floruit, etiam tum quinque minas commemorare vidimus; hanc igitur mutationem aut Posidippo ignotam fuisse censendum est aut grammaticum erravisse.

Sunt fortasse qui censeant ex ipso classium nomine argumentum peti posse, quo demonstretur hanc legem a Solone institutum esse aut saltem ante Aristidem, cum huius summi viri tempore devastatis a Persarum exercitu omnibus Atticae partibus fractae et attritae essent plurimorum optimatium opes, et alii tenues antea et exiguorum aut nullorum agrorum possessores bellica praeda locupletati essent [1]) nec amplius thetes eximie essent pauperes. Equidem non adversor eorum opinioni, dummodo ne cogar eorum argumentationi adsentiri. Meminerint enim haec classium nomina usque ad Nausinicum archontem (ol. C, 3) perdurasse, licet censuum descriptio iam ante haud dubie subinde mutata esset [2]).

Actio quae extremis huius legis vocabulis indicatur erat κακώσεως [3]).

Dote data et accepta a sponso hic sponsam ducere debebat, quod nisi faceret lex eum iubebat dotem ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς debere [4]), i. e. quoad eam non reddebat ei solvendi erant quotannis 18 oboli pro centenis obolis, quae usura solita dimidio maior erat. At ut is qui dotem dederat haberet unde sibi reciperet, si matrimonio soluto dotem ad se reverti oporteret et maritus aut eius heredes eam reddere negarent, sponsus cui dos tradita erat pignus praestare solebat.

Dare pignus ἀποτιμᾶν dicitur [5]), in cuius gratiam ea oppigneratio fit, is ἀπετιμήσατο [6]), dum res ipsa ἀπετιμήθη [7]) aut

1) Schoem. antiq iur. publ Gr., p 179.
2) ibid p. 321.
3) cf Meier et Schoem, der att. proc. p 293
4) Demosth c. Aphob I, p 818, § 17
5) Demosth adv Spud p. 1030, § 7.
6) ibid p. 1029, § 5.
7) ibid. p. 1030, § 10, adv. Onet I, p. 865, § 4

ἀποτίμημα κατέστη [1]. Ut omnes quorum id scire interesset huius oppignerationis certiores essent, ὅροι, libelli sive tabulae [2], praediis oppigneratis affigebantur, ut docent Isaeus [3] et Demosthenes [4]. Harum tabularum usus ad indicandam rem oppigneratam antiquissimus erat. Solon enim iam gloriatur [5]:

συμμαρτυροίη ταῦτ' ἂν ἐν δίκῃ Κρόνου
μήτηρ, μεγίστη δαιμόνων ὀλυμπίων
ἄριστα, Γῆ μέλαινα, τῆς ἐγώ ποτε
ὅρους ἀνεῖλον πολλαχῇ πεπηγότας,
πρόσθεν δὲ δουλεύουσα, νῦν δ' ἐλευθέρα.

Huiusmodi ὅροι cum complures aetatem tulerint, non possum quin unum et alterum describam.

Titulus Athenis in Museo asservatus [6]:

(ὅ)ρος οἰκίας (καὶ κ)ήπου ἀποτε(τιμη)μένων
προικ(ὶ) τῇ Διοδώρου θυ(γ)ατρὶ Καλλιστράτῃ.
XIH̄ΗII.

Titulus amorginus [7]:

(ὅ)ρος ταῖς οἰκίας [8]) ἀποτετιμημένων Νικησαρέτῃ εἰς τὴν προῖκα καθιερωμένων καὶ ἀνακειμένων τῇ οὐρανίᾳ Ἀφροδίτῃ τῇ ἐν Ἀσπίδι ὑπὸ Νικησαρέτης τῆς γυναικὸς τῆς Ναυκράτους καὶ κατὰ τὰς διαθήκας τὰς κειμένας ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀφροδίτης καὶ παρ' Εὐνομίδῃ τῷ ἄρχοντι καὶ παρὰ τῷ θεσμοθέτῃ Κτησιφῶντι.

Uxoris dos numquam in mariti dominium cedebat, nam simul ac matrimonio finis erat impositus, ea non amplius mariti, sed defunctae mulieris heredum erat aut cuiuslibet alius cui

1) Apollod. adv. Timoth. [Demosth.] p. 1187, § 11. Hinc frequentes lexicographorum adnotationes ut Harpocr. vv. ἐνεπιμᾶτο et ἀποτιμηταί, ex quibus Suidas sua descripsit, Hesych. vv. ἀποτιμήματα et ἀποτιμήσασθαι, Poll. VIII, 142, Bekkeri A. G. p. p. 200, 201, 433, 437.

2) Seneca, de benef. IV, 12, Venuleius in l. 22, § 2 D. quod vi aut clam.

3) de Philoct. her. p. 68, § 36.

4) adv. Onet. II, p. 676, §§ 1 et 3.

5) Aristid. II, p. 536 D.

6) Ross, inscr. gr. ined. Fasc. II, p. 32.

7) Boeckh, C. I. G. II, p. 1037, n. 2264 u.

8) Lege τῶν οἰκιῶν.

ius erat in eam. Quid de dote fieri soleret matrimonio finito postea[1]) videbimus, nunc satis sit indicare eam numquam mariti fieri, quae eadem causa est ob quam propter mariti culpam numquam potest abalienari. Huius rei indicium videas in Apollodori oratione contra Euergum et Mnesibulum[2]); isti irruunt in oratoris domum et vasa diripiunt, quo mulctam qua hic damnatus erat sibi quaererent. Intus est oratoris uxor et eos tangere vetat ea quae sibi in dote data sunt. »Vasa relinquite," inquit," »et nihil meum auferte." Praeterea ex saepius laudata oratione adv. Onetorem quam luculentissima patet neque uxoris dotem neque praedia huius causa oppignerata alienari posse propter mariti culpam, nam eo ipso consilio Aphobi praedium ab Onetore oppigneratum dicebatur pro sororis dote ne Demosthenes id Aphobo posset adimere. Propterea autem Demosthenes istius consilii non inscius summopere studebat demonstrare neque dotem traditam esse Aphobo neque oppignerationem ullam factam esse. Deinde mariti bonis publicatis uxor inter reliquos creditores prima litem aerario intendere poterat, si contenderet in illis bonis inesse quae ad suas res pertinerent, quae actio ἐνεπίσκηψις dicebatur[3]), de qua conferenda sunt quae auctores de lite attica attulerunt[4]).

Dotis usu maritus fruebatur; illi igitur, ut videtur, tributa quoque eius, si qua imperarentur, solvenda erant. Filius vero post patris mortem dotem matris obtinebat, si mater saltem in defuncti mariti domo remanebat. In huius igitur dominium matris dos cedebat atque huic e. g. in antidosi ea praestanda est neque licet eam in aere alieno recensere[5]). Reliqua vero

1) lib. I, III, 2 A, p. 56 sqq.

2) [Demosth.] p. 1153. § 57.

3) Etym. M. v. ἐγγύης καταβολήν· ἐξῆν δὲ τῇ γυναικὶ πρώτην τὴν ὀφειλομένην προῖκα ζητεῖν. Verbum ζητεῖν hac significatione licet pessimae sit graecitatis, non tamen dubium est quid lexicographus sibi voluerit.

4) Platner, der proc. II, pp. 123 et 267, Meier et Schoem., d. att. pr. p. 424, Meier, de bonis damn. p. 222

5) [Demosth.] adv. Phaen. p. 1047, § 27, cf. Boeckh. st. d. Ath. I, p. 668

dona quae propter nuptias data erant iam supra[1]) ex Isaeo demonstravi numquam posse exigi aut adimi marito.

In epiclero ipsum patrimonium dotis locum excipiebat. Hoc igitur loco lubet inquirere quaenam ratio intercesserit inter huius opes et maritum. Isaeus[2]) de Cironis filia agens ita: »si enim mea mater quae Cironis est filia adhuc superesset et Ciron decedens de hereditate sua nihil constituisset et hic (competitor) non esset Cironis e sorore nepos, sed frater Cironis, foret quidem penes eum filiam Cironis in matrimonio habere; neque tamen ideo bonorum Cironis foret ille compos, sed liberi ex ipso et filia Cironis nati, posteaquam secundum a pubertate annum excessissent. Sic enim leges edicunt." Lex igitur erat, ut nati ex epiclero matris patrimonium tenerent, cum sui iuris essent facti, matrique de suis victum praeberent[3]). Victum illum veteres constanter σῖτον appellant[4]).

1) p. 39, n. 4 et 5

2) de Cir. her. p 72, § 31

3) Apollod. [Demosth.] c. Steph. II, p 1135, § 20 οὐκοῦν ὁ μὲν νόμος κελεύει τοὺς παῖδας ἡβήσαντας κυρίους τῆς μητρὸς εἶναι, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Brevi antea haec ita in legis formulam redacta leguntur: ἐὰν δὲ ἐπικλήρου τις γένηται καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ διετὲς κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Hac opportunitate utar ad liberandum Isaeum turpissimo emblemate in or. de Arist. her. p 80, § 12 eandem rem tractans dicit θαυμαστὸν γὰρ ἂν ἦν, εἰ τὴν ἐμὴν μητέρα ἔχοντι Ἀπολλοδώρῳ ἢ Ἀριστομένει οὐκ ἂν οἷόν τ' ἦν τῶν ἐκείνης κυρίῳ γενέσθαι κατὰ τὸν νόμον, ὃς οὐκ ἐᾷ τῶν τῆς ἐπικλήρου κύριον εἶναι ἀλλ' ἢ τοὺς παῖδας ἐπὶ διετὲς ἡβήσαντας κρατεῖν τῶν χρημάτων. Quis monitus post ἀλλ' ἢ patietur vocabula κρατεῖν τῶν χρημάτων, quae primo addita ad κύριον εἶναι explicandum mox in ipsam orationem migrarunt? Suidas v. ἡβήσαντες Isaei fragmentum servavit, quam glossam sic lege: Ἰσαῖός φησιν ἐν * * * ἡγούμεθα μὲν ἐκείνῃ τὸν ἐγγυτάτω γένους δεῖν συνοικεῖν, τὰ δὲ χρήματα τέως μὲν τῆς ἐπικλήρου εἶναι, ἐπειδὰν δὲ παῖδες ἐπὶ διετὲς ἡβήσωσιν, ἐκείνους αὐτῶν κρατεῖν pro Ἰσαῖός φησιν ἐνηγγόμεθα μὲν ἐκείνῃ κτέ, quod monstrum ἐνηγγόμεθα aequo diutius servaverunt editores. In extremo glossa dedi ἡβήσωσιν pro ἡβῶσιν. Eadem fere Hyperides in or. adv. Charetem dixerat ut ex Harpocratione v. ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι discimus.

4) Apollod. l.l. Σῖτος quid sit in iuris attici sermone Pollux VIII, 33 explicuit, scil. αἱ ὀφειλόμεναι τροφαί. Suidas Photius Harpocration v. σῖτος

III.

DE MATRIMONII FINE.

1

DE MODIS QUIBUS MATRIMONIUM SOLVITUR

Matrimonium duplici modo solvi potest. morte et divortio. De illa non est quod agamus. Attamen cum quaesitum sit inter iuris attici studiosos exstiteritne apud Athenienses mors quae dicitur civilis, haec si exstiterit necessario finem matrimonii facere debuit. Nomen autem ipsum in iure attico ignotum est, res vero non ita, nam in iis, quae iamiam dicturus sum huius rei vestigia nequaquam neganda apparebunt. Apollodorus in oratione adv. Nicostratum [1]) docet leges iubere eum qui redemptus est ab hostibus eius esse qui eum redemit, nisi pretium restituerit. Is qui ex libero servus factus est mortem civilem passus esse dici potest. Servorum autem nullum est connubium inter sese invicem neque servorum cum liberis. Sin vero redemptus ex captivitate iam antea uxorem duxisset, hoc matrimonium nihili esse oportet, si redemptus pretium pro se solutum non restituens ἀγώγιμος fiat. Itaque ea quam dixi vitae condicio mutata matrimonio finem faciebat. Exempla tamen huiusce rei omnino desunt

De infamiae poena apud Athenienses multa optime disputavit Naber [2]); ex his tamen apparet quot et quanta in hac iuris publici parte nesciantur. Neque tamen dubium est, quin id quo-

1) [Demosth.] p. 1249, § 11.
2) de fide Andoc. de Myst. p. 34 sq

que sit genus mortis civilis, si quis dicatur totius reipublicae commodis spoliatus ac perpetua ignominia notatus, ut Strato ille in Demosthenis Midiana [1]). Eiusmodi infamia notatum et connubio caruisse censeo et uxorem dimittere debuisse, si iam duxerit. In superioribus [2]) vidimus uxori mariti bonis publicatis ius fuisse sibi dotis vindicandae. Ipsa dotis vindicatione apparet hanc quoque poenam morti civili similem habendam esse, nam dos, licet numquam in mariti dominium cedit, non repetitur nisi matrimonio soluto. Simulac mariti bona publicantur uxor dotem sibi vindicat. Igitur bonorum publicationem, ignominiae genus, sequitur matrimonii solutio.

Mulier, quae quocunque modo ex uxoris condicione in viduae condicionem transierat, χηρεύειν dicebatur. De ea, cuius maritus mortuus erat, exemplum unum inter plurima praebet Isaeus [3]), de ea, quae cum marito divortium fecerat Demosthenes [4]).

Divortium duplici modo fiebat. Maritus uxorem dimittebat aut uxor a marito discedebat. Rectissime Eranius Philo [5]) docet interesse inter ἀπολείπειν et ἐκβάλλειν; illud enim dici de uxore quae a marito discedat, hoc de marito uxorem dimittente. Ceteroquin Athenienses pro ἐκβάλλειν minus invidioso nomine uti solebant ἐκπέμπειν aut ἀποπέμπειν. Ἀπόλειψιν γράψασθαι autem et ἀπογράψασθαι idem est quod ἀπολείπειν. Utriusque locutionis mox satis exemplorum afferetur; nunc de marito videamus uxorem iubente suas sibi res habere, quod Lysias [6]) et Apollodorus [7]) ἀπόπεμψιν dixerunt [8]).

1) p 542, § 87.
2) p 46, n. 3.
3) de Philoct. her. p 61, § 51
4) adv. Onet. I, p 873, § 33
5) Ammonius, ed. Valckenaer, p 160
6) teste Polluce VIII, 31.
7) [Demosth.] c. Neaer. p 1365, § 59.
8) Pollux II, III, 46 et VI, 153 unicus est, qui hoc divortii modo ἀπο-

Saepissime nullo matrimonii iure laeso maritus cum uxore divortium faciebat. Isaeus[1]) narrat Meneclem uxorem alteri tradere propter suam ipsius sterilitatem; non enim hanc oportere talem suae virtutis mercedem capere, nempe ut simul cum ipso senescens evaderet improlis; satis enim esse ipsum fortunam malam expertum esse. Auctor orationis adversus Eubulidem[2]) tradit Protomachum uxorem dimisisse, cum quippe qui esset proximus cognatus divitem epiclerum ducere posset. Eandem fuisse causam ob quam Timocrates uxorem suam Aphobo permiserit tradit auctor argumenti orationis I adv. Onetorem[3]). Periclem uxorem suam non invitam alteri tradidisse, cum inter coniuges vita admodum iniucunda esset, narrat Plutarchus[4]). At fuit quod impediret, quominus nimis temere mariti uxores suas dimitterent, dotis scil. restitutio, quod iam ipsi veteres nos docent, ut Isaeus[5]), qui ita: „sin autem cupiditate mulieris incensus avunculus noster passus esset indotatam sibi despondere talem mulierem, apparet Nicodemum multo etiam magis operam daturum fuisse, ut Pyrrhus coram testibus affirmaret se dotem pro muliere accepisse atque sic caveret, ne facile ei esset mulierem, si quando luberet, a se ablegare," quibuscum omnino sunt conferenda quae brevi post sequuntur[6]): „ecquid enim tibi profuisset sororem despondisse, si commisisses ut, cui tu eam despondisses, in huius fuisset arbitrio illam rursus quo lubitu quandocunque repudiare? Hoc autem constat futurum fuisse in Pyrrhi arbitrio, si ei cum Nicodemo de dote nihil convenisset."

Non semper vero nullam ob causam aut tantum lucri faciendi

———

κομπής nomen dat, quod vocabulum hac significatione apud veteres neque occurrit neque probandum est

1) de Menecl her. § 7.
2) [Demosth.] p 1311, § 41
3) Demosth. p 863.
4) Pericl c 24
5) de Pyrrhi her. p. 40, § 28.
6) ibid p. 41, § 36.

gratia mariti uxores repudiabant; interdum enim mariti iura laesa causam divortii praebuisse censenda sunt. Sic e. g. Hipponicus testibus advocatis uxorem dimisit, contendens Alcibiadem non ut fratrem sed ut virum illius eam visere solere [1]). Phrastor Neaerae filiam sibi a Stephano ut ipsius filiam desponsam domo eiecit (ἐξήλασε), postquam comperit eam revera Neaerae filiam esse sibique duceuti peregrinam pro cive impositam esse a Stephano, eandem Theogenes ob eandem causam dimisit (ἀπέπεμψεν) [2]).

Divortium necessarium erat, cum filia iam nupta morte patris epiclerus fieret atque proximus cognatus eam iure sibi peteret. At lex providebat epicleria variis modis, nec facile pater moriturus filiam nuptam ἐπίδικον relicturus fuisset, cum adoptione generi omnes molestias solvere potuisset.

Praeterea Solonis lex haec erat [3]). » mulier, apud quam adulter deprehensus fuerit ne ornator neve in fana publica ingreditor, ne suo interventu integras matronas corrumpat. quodsi intraverit aut sese ornaverit, quivis dilacerato eius vestimenta et ornatum diripito et eam verberato, eatenus tamen, ne vel occidat vel mutilet." Ita, orator persequitur, talem mulierem omni dignitate privat et vitam ei acerbam reddit et morte duriorem. Huic legi fortassa id additum erat quod ex oratione contra Neaeram novimus [4]), tales mulieres etiam mariti aedibus eiiciendas esse.

Marito igitur ius erat uxoris dimittendae sine ulla forma testibus tamen advocatis, ut Lysiae locus laudatus indicat. Uxor vero si a marito discedere vellet, apud

---

1) Lys. c. Alcib. I, p. 142, 28.
2) Apollod [Demosth.] c. Neaer. p 1362, § 61, p. 1365, § 59, p. 1372, § 82.
3) Aesch. c. Tim. p. 26, § 183
4) [Demosth.] p 1374, § 86.

archontem ἀπόλειψιν γράψασθαι debebat, ut conficitur ex iis quae orator in oratione de Pyrrhi hereditate [1]) adversarium rogat, ut demonstretur revera ἀπόλειψιν factam esse »apud quem archontem mulier denuntiavit se domo mariti ultro excessisse?"

Qui hanc iuris attici partem tractaverunt fere omnes contendunt mulierem ipsam archontem adire debuisse atque ei tradere scriptum in quo expositum esset, quare divortium a marito cuperet [2]). Errant qui ita censent atque oblivisci videntur iuris regulae mulieri non esse potestatem in iure agendi, sed ei auxilio κυρίου opus esse. Hoc tamen aliquatenus Platner [3]) sensit, qui dubitanter de hoc divortii genere haec conscripsit: »hier scheint fürs erste so viel ausgemacht zu sein, dass die frau sich nicht ohne hinlängliche gründe von dem manne trennen konnte und das sie diese (so nicht selbst, doch durch ihre verwandten) durch die δίκη ἀπολείψεως geltend machen musste." Immo vero, non ipsa sed ope aliena eaque sui κυρίου, quod veteres disertis verbis docent, ita ut mirere eiusmodi testimonium prorsus neglectum esse. Evolvas Demosthenis orationem priorem adversus Onetorem, in qua saepius sermo est de ἀπολείψει. Nullibi indicatur uxori ipsi in iure agendum esse, si a marito discedere vellet, at contra leguntur haec [4]). »nupsisse autem mulierem eo quo dixi tempore et interea intercessisse controversiam inter nos et postquam ego ius persequerer, istos (οὗτοι) divortium ad archontem retulisse, singulatim haec mihi testimonia recita." In his omnes vident vocabulo οὗτοι non significari mulierem, sed eius κύριον Onetorem adiutum a marito. Alia quoque eidem orationi insunt

---

1) Isaeus, p. 45, § 78.

2) Heffter, ath. gerichtsv. p. 414, Meier et Schoem. att. proc. p. 414, Otto, Spec. II de act. for. Ath. p. 12, de Pastoret, histoire de la legisl. VI, 423.

3) de proc. und die kl. II, p. 270.

4) p. 860, § 17.

argumenta, quae meam sententiam firmant, ut[1]): „cum apud archontem scriptum esset hanc mulierem divortium fecisse," in quibus nequaquam dicitur ipsa uxor in iure egisse. Huius erroris origo non latet. Andocides[2]) enim narraverat Alcibiadem cum tantam haberet dotem quantam nullus Graecorum, adeo se gessisse insolentem, ut in aedes suas scorta induceret et ingenuae et servilis condicionis eoque uxorem matronam insignis pudicitiae adegisse, ut mariti domo derelicta ad archontem questum iret, sicuti lex est[3]). Verum ibi vel maxime potentiam suam declarasse: conducta enim satellitum caterva e foro uxorem per vim rapientem abduxisse eoque omnibus palam fecisse et magistratus et leges et cives reliquos a se contemni. Ita Andocides. Haec cum disputamus non curamus huius orationis fidem, quia apparebit oratoris narratiuncalam nihil probare. Si nobis autem ex hac oratione testimonium afferendum esset, quo iuris regula effici deberet, non ita leviter quaestionem de fide Andocidis orationis contra Alcibiadem tractaremus. Nihil vero nostra in re refert sitne spuria an genuina, nam si spuria est, disputatio non nisi vires acquiret, si genuina, nihilo infirmior erit. Orator autem usus est vocabulis *ἐλθοῦσαν πρὸς τὸν ἄρχοντα κατὰ τὸν νόμον*. At his nihil probatur nisi coram adesse debere mulierem apud archontem, cum a marito divertere cuperet; qui l.l. inesse censent legem mulieri ipsi in iure apud archontem agendum esse, illi plus quam alii vident et egregia quidem utuntur divinandi arte, sed errant, nam propterea suus cuique mulieri *κύριος* erat, qui eius personam in iure sustineret. Nec quisquam, opinor, ex uno Andocidis loco id effecisset, nisi Plutarchus, qui solet errare in Atheniensium

---

1) p. 871, § 26: *μετα τὸ γεγράφθαι παρα τῷ ἄρχοντι ταύτην την γυναῖκ' ἀπολελοιπυῖαν*

2) c. Alcib p 30, § 14

3) *ὥστ' ἠνάγκασε την γυναῖκα σωφρονεστάτην ουσαν απολιπεῖν ἐλθοῦσαν πρὸς τον ἄρχοντα κατα τον νόμον.*

iure enarrando et cui vel nostra aetas in eo cognoscendo nihilo postponi debet, eos in errorem induxisset narrans Hippareten Alcibiadis uxorem divortii petitionem ad archontem debuisse referre non per alios, sed ipsam coram[1]). Coniecit Plutarchus, forsitan ex Andocidis vocabulis *ἐλθοῦσαν πρὸς τὸν ἄρχοντα κατὰ τὸν νόμον*, mulierem debere divortii petitionem tradere archonti *μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν*, sed mala et pervarsa explicatione oratoris vocabulorum usus est, ex quibus nihil potest effici nisi quod dixi. Adversatur autem Plutarchi explicatio iuris atticae naturae neque minus veterum testimoniis supra a me allatis. Plutarchus prorsus indignus esse videtur, quem in hoc argumento audiamus. Narrationem de Alcibiada sequitur pulcherrima disputatio de iustitia, qua probare conatur non plane contra leges neque inhumanam fuisse Alcibiadis vim. Legem enim videri propterea mulierem quae a marito discedere cupiat iubere in publicum prodire atque archontem adire, ut marito potestas detur eius domum reducendae. Qui talem vim qualem Alcibiades uxori intulit ausus est dicere non omnino *παράνομον* neque *ἀπάνθρωπον*, is non recte videtur intelligere, quid iustitia et humanitas sibi velint. Cum autem Plutarchi legem nusquam firmatam videas, sed contra appareat eum sua ex oratoris loco perverse explicato hausisse, non anteponemus eius auctoritatem Isaeo et Demostheni, nec quidquam aliud docebimus nisi personam mulieris etiam hac in re sustinendam fuisse eius *κυρίῳ*.

Quae huc usque disputavimus de divortii modis nituntur veterum testimoniis. Horum nullus tamen aliquid tradit de actionibus forensibus quae inde oriri potuerunt. Pollux *ἀποπομπῆς*[2]) commemorat et *ἀπολείψεως δίκην*[3]). Vix opus est admonere ea quae iuris interpretes de his actionibus conscri-

1) Alcib. c. 8 ἔδει τὴν Ἱππαρέτην τὸ τῆς ἀπολείψεως γράμμα παρὰ τῷ ἄρχοντι θέσθαι, μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν.
2) III, 46, VIII, 61, cf. p. 50, n. 8.
3) III 47.

pserint meris coniecturis niti. Alii autem plane reiciunt huiusmodi actiones, nimis temere opinor, nam ut nunc etiam olim divortia semper multis litibus obnoxia fuisse non est quod negemus [1]).

2.

DE IIS QUAE MATRIMONIO FINITO CONSEQUUNTUR

Iam videamus quid matrimonio finito leges mandaverint de coniugum bonis atque de liberis.

A. De iis quae matrimonio finito consequuntur quoad opes spectant.

In his praecipue agendum erit de dote, nam reliqua magis pertinent ad ius hereditarium, bifariam autem haec dividitur disquisitio. Indaganda sunt enim iuris instituta de dote:

I mortuo alterutro coniugum;

II divortio locum habente.

I. *a*). Mortuo marito 1) cum liberi nati essent, mater *α*) remanebat in mariti domo donec dos liberis adscribebatur aut *β*) relinquebat mariti domum et cum dote revertebatur in manum sui *κυρίου*.

α). Inter demosthenicas orationes exstat oratio adversus Phaenippum incerti auctoris. Orator, quisquis ille fuit, pervenit cum Phaenippo ad bonorum permutationem, cum designatus inter trecentos ad sustinenda onera graviora rei publicae ostendisset hunc se locupletiorem eo munere iniuris atque suo

1) cff. Meier et Schoem. att. proc. p. 415, Platner d. proc II, p. 270, Heffter, ath. ger. p. 240, Gans, erbrecht, 1, p. 311

incommodo vacare. Inter alia accusat Phaenippum fraudis, quippe qui simulat se debere quae revera non debeat; in his etiam dos est quam se matri debere dicit iste. Sic deinde persequitur [1]: »quamnam ob causam ego, Phaenippe, **matre mea in aedibus nostris remanente et vivente dotem quam attulit non recenseo inter aes alienum** neque iudices decipio, sed **matrem meorum participem esse sino?** — Quia leges iubent; tu vero omnia contra leges agis."

Lex igitur ab oratore dicitur **iubere filio obvenire dotem, si patre mortuo uxor in mariti domo remanet, sed matri filium victum praebere debere.** Contra filium non sinentem matrem participem esse suorum *κακώσεως* actio institui poterat [2]).

β). Matrem mariti domo relicta cum dote in *κυρίου* sui manum reverti docet Isaeus [3]). Nicodemus enim affirmat se sororem suam cum dote Pyrrho elocasse; quod ut constaret, filius Pyrrhi sororis quae in bona fraterna successerat, idque, ut Nicodemo videbatur, iniuria, eum rogat quaenam sint indicia huius desponsionis. Maximopere se velle scire dicit utrum desponsa mulier Pyrrhum vivum reliquerit an ipso mortuo eius domum deseruerit et a quo tandem sororis dotem receperit, postquam illa sit mortuus cui se eam despondisse herhibeat, aut, si non receperit, qualem *δίκην σίτου* aut *προικός* intra vigesimum annum instituerit contra eum qui in Pyrrhi hereditatem successerit.

Contendit igitur Nicodemus se sororem suam rite despondisse Pyrrho, ex quo matrimonio nata sit illa filia quae in oratione nominatur Phile sive Clitarete. Ex iis quae filius Pyrrhi sororis rogat (simulat enim se concedere Nicodemo istud

1) p. 1047, § 27.
2) Platner, der proc. II, p. 266, Meier et Schoem. d. att. proc. p. 288 et 427.
3) de Pyrrhi her. p. 38, § 8, cf. omnino p. 45, § 70.

matrimonium ratum fuisse, ut eum ipsius dictis irretiat) apparet uxorem post mariti mortem eius domum posse relinquere cum dote, etiam si liberi nati sint. Idem demonstratur iis quae in oratione adversus Boeotum de dote narrantur [1]). Mantithei mater primum Cleomedonti nupserat; natis autem tribus filiabus et uno filio Cleone maritoque mortuo deserta familia et recepta dote iterum a Menexeno et Bathyllo collocata cum talenti dote nupsit oratoris patri. — Hisce nihil luculentius esse potest et egregie iis quae dixi illustratur Isaei locus, quo praeterea docemur quid mulieris κύριος, in cuius manum rediisset, facere debuerit heredibus negantibus dotem reddere. Tum scilicet δίκην σίτου aut δίκην προικός ab eo institui oportebat, de quibus actionibus repetere quae in libris de attica lite optime sunt conscripta [2]) non necessarium duco.

2). Cum liberi non essent nati quid mortuo marito de dote fieri soleret nunc videamus. Nusquam directo testimonio huic quaestioni respondetur; sed uxorem cum dote redire in manum κυρίου et indoles iuris attici arguit et demonstrari potest. Succedere in bona mariti intestato mortui apud Athenienses non licebat uxori. Si quis orbus intestato diem supremum obiit, succedit in eius bona is qui ex iure hereditario genere proximus est [3]); hic profecto non praetermittet longum temporis spatium, ut hereditatem sibi vindicet; quod ut efficiat sibi domus illa interdicenda est relictae viduae. Quae ne iniuria afficiatur, si gravida est atque adeo nondum certo sciri potest an defunctus revera orbus mortuus sit, Athenienses hanc legem sanxerunt, ut archon curam gereret earum mulierum quae perhibentes se praegnantes esse aliquamdiu remaneant in defuncti mariti

1) [Demosth.] p. 1010, § 6.
2) cff. Meier et Schoem. d. att. proc. p. 423 sqq., Platner d. proc. II, p. 266.
3) cf. Bunsen, de iure hered. apud Ath. p. 38 sq.

domo[1]). Supra autem vidimus uxorem, si liberi nati essent, potuisse remanere in defuncti mariti aedibus; ex hac lege conceptus pro nato habetur et uxori viduae eadem tribuitur facultas. Ita legislator cavit, ne defuncti mariti heredes nimis avide in eius hereditatem irruerent. Eiusmodi tamen lege opus non fuisset, nisi altera huic opposita exstitisset qua uxor ubertur cum dote ex aedibus defuncti mariti decedere, si neque nati neque nascituri essent liberi. Divinando vero nihil proficimus, quam ob causam his finem imponemus; attendendum tamen est Meierum [2]) videri errare docentem legem praecipere mulierem parhibentem se gravidam esse debere remanere in mariti aedibus donec peperisset. Hoc enim haud scio an iuri attico non conveniat; liberis iam natis uxori optio dabatur velletne in mariti domo remanere an eam relinquere; cur igitur gravidae haec optio negata fuisset? Gravida vidua non videtur potuisse cogi manere in defuncti mariti domo aut reverti cum dote in *κυρίου* manum, sed libera ei optio data fuisse videtur, dummodo, si gravida esset, nascituri iura in bona paterna integra manerent. Sed cum liberi neque nati neque nascituri essent, vidua videtur cogi potuisse relinquere defuncti sedes idque ab eo cui ius erat in eius bona succedendi.

b). Mortua uxore 1) cum liberi nati essent quid de dote fieri oporteret docet auctor orationis adversus Boeotum de dote [3]). — Boeotus aegre ferre dicitur Mantitheum educatum et institutum esse et uxorem duxisse in patris aedibus. Mantitheus autem his respondet matrem suam mortuam esse se admodum puero, sibi vero dotis maternae usuras suffecisse tum

1) Pollux VIII, 69. Lex ipsa servata esse videbatur in [Demosth.] or. adv. Macart. p. 1076, § 75. Cff. praeterea Isaeus de Apoll. her. p. 66, § 30 et Aesch. c. Timarch. p. 22, § 158.

2) Meier et Schoem. d. att. proc. p. 421.

3) [Demosth.] p. 1023, § 50

ad victum, tum ad institutionem. Liberis igitur matre mortua dos materna obveuit; pueris autem cum non licorot contrahere ultra hordei medimnum[1]), pater dotis usum fructum habebat, quosd liberi sui iuris facti essent, sed victum et institutionem iis inde praeberi oportebat.

Non semper vero adulti liberi dotem maternam sibi vindicabant, ut probatur eiusdem Mantithei exemplo, quippe qui patre adhuc vivo circiter duodeviginti annos natus ipse uxorem iam duxisset et post longum temporis intervallum, cum ipsi iam esset filia nubilis, demum litigaret de dote materna nondum a paternis bonis seiuncta.

2). Cum liberi nati non essent dos revertebatur ad eum qui eam dederat, ut probat Isaeus [2]). Rogat scilicet orator: »Nicodemus estne existimandus nulla cum dote sororem suam nostro avunculo despondisse, praesertim qui sciret eam ex eorum quibuscum consuevisset nullo peperisse, legesque nosset ipsi dotem adiudicare marito datam, si contingeret ut mulier sine prole decederet?"

Ad hoc institutum illustrandum nihil habeo quod addam, nisi hinc itidem δίκην προικὸς oriri potuisse [3]).

Non opus est ut dicamus quid de dote fieri oporteret patre et matre mortuis, nam in superioribus me satis ostendisse arbitror quid patre mortuo quid matre mortua fieret. Omnia inde pendent uter prior diem supremum obierit atque sintne liberi nati necne.

II. Divortio locum habente unius tantum legis de dote doctrinam Isaeo debemus et eius hac in re discipulo Demostheni. Ex Isaei vocabulis: »si quis quid non in dote alteri

1) Is. de Arist. her. p 60, § 10
2) de Pyrrhi her. p. 41, § 36, cf. § 38, ubi fere eadem leguntur.
3) cf Meier et Schoem d. att. proc. p. 424

aestimatum matrimonii gratia dederit, id ei postmodum repetere non licet, si forte fiat, ut aut uxor sponte sua maritum deserat aut maritus eam domo expellat," satis tuto videtur posse confici licere dotem repetere ei qui eam dederit, si uxor sua sponte maritum reliquerit aut maritus uxorem dimiserit. Haec autem coniectura a Demosthene [1] firmatur. Onetor enim Aphobo sororem cum dote desponderat. Interea Aphobus in causa de Demosthenis tutela condemnatur et Onetor simulans sororem suam cum Aphobo divortium fecisse atque se non posse recuperare dotem datam expellit Demosthenem in tutoris bona invadentem ex quodam praedio dictitans hoc sibi oppigneratum esse. Onetoris argumentatio haec est: sororem cum dote elocavi Aphobo; praedium istud oppigneratum est pro sororis dote; divortio facto dos ad me revertatur necesse est; te igitur ex isto praedio expello. His Demosthenes non adversatur, sed tantum demonstrare conatur dotem omnino non numeratam et adhuc in Onetoris potestate esse, divortium autem prorsus simulari. Haec igitur cum de divortio valent in quo uxor ipsa non est in culpa, quaeritur quid de dote fieret, cum matrimonium solveretur uxoris culpa. Nullum praesto est exemplum unde hoc discamus. Attamen eiusdemmodi quid Apollodorus nobis narrat. Phrastor per Stephani fraudem peregrinam duxerat et uxore domo eiecta reddere dotem negabat. Hanc ob causam Stephanus ei diem dixit ex lege iubente: »si quis uxorem dimittat, reddendam esse dotem; quod ei non fecerit novem obolos usuram pendat, et mulieris κύριος pro ea de victu ad Odeum instituat actionem." Phrastor negare potuit dotem reddere aut quia ita licebat ex lege aut quia putabat Stephanum sibi litem intendere non ausurum. Cum ea quae in oratione continuo sequuntur diligenter reputamus, posterius verisimillimum fit. Nam accusatus

1) adv. Onet. I, p 886, § 8.

a Stephano dotem reddidit. Licet igitur legem ab Isaeo et Demosthene commemoratam ab Apollodoro firmatam videamus, nil novi inde discimus et incerti haeremus quid de dote fieret in eo quod diximus divortii genere.

Iam supra indicavi locos auctorum de forensibus actionibus apud Athenienses in quibus agunt de hac actione [1]).

S i q u a m u l i e r a p r i o r e m a r i t o d i s c e d e b a t e t a l t e r i n u b e b a t , d o t e m e a m s e q u i o p o r t e b a t. Haec enim condicionis mutatio divortium est, quod novum sequitur matrimonium neque iuris instituta alia valere potuerunt. Quod dixi probat Demosthenes [2]), qui narrat Onetorem sororem Aphobo dedisse et Timocratem, cui mulier ea antea nupta fuerat, pepigisse se ei dotem debiturum esse cum quoque obolorum usura [3]).

Antea [4]) docuimus epicleri opes similes habendas esse doti. Ne quis hinc efficiat eadem instituta valuisse de huius bonis, de quibus quid Athenienses instituerint supra iam vidimus [5]); quibus nunc haec tantum addemus ex iuris hereditarii institutis probari posse videri huius hereditatem, si omnia conamina ad patria nomen et familiam ab interitu servanda successu caruissent, ei obvenire cui ius in eam fuisset, si epicleri pater omnino orbus liberis diem supremum obiisset. Frustra tamen huius rei exempla aut testimonia quaeras. Nec hanc disquisitionis partem ulterius persequar, cum tales quaestiones nec dirimi possint nec quidquam profuturae sint [6]).

---

1) p. 56, n. 2
2) adv. Onet. I, p. 866, cf. § 6.
3) τὴν δὲ προῖκ' αὐτῷ Τιμοκράτης ἐπὶ πέντ' ὀβολοῖς ὀφειλήσειν ὡμολόγησεν.
4) p. 47, n. 2
5) p. 10, n. 6 sqq.
6) cf p. 40, n. 1.

B. De iis quae matrimonio finito consequuntur quoad liberos spectant.

Cum in tota matrimonii institutione summum ius semper penes maritum esse viderimus, non mirum est etiam liberos huius esse et haberi matrimonio quocunque modo soluto. Re autem recte et ordine inquisita videbimus et morte alterutrius coniugis et divortio soluto matrimonio liberos aut remansisse in patris sedibus aut (quod proprie idem est) in tutoris domum transiisse, numquam vero matrem secutos esse. Rara quidem sunt exempla, attamen satis idonea ad cognoscenda Atheniensium hac de re instituta.

Mortuo marito uxori, si liberi nati essent, optionem datam esse vidimus[1]) velletne redire cum dote in κυρίου manum an cum liberis in mariti defuncti aedibus remanere. Hinc apparet patre mortuo liberos matrem non sequi. Mater, postquam cum dote in κυρίου manum rediit, a liberis seiuncta fuit. Sic e. g. Mantias filiam Polyarati duxit, quae primum Cleomedonti nupta fuerat, cui tres filios et filium pepererat. Defuncti domo relicta cum dote redierat in fratrum manum, qui ipsi sui iuris erant. Mantitheus autem horum uterinorum nullam mentionem facit, unde conicere nobis licet liberos Cleomedontis in patris domo remansisse Mantiamque eos domi suae non habuisse[2]). Idem alius orationis locus docet. Boeotus scil. Mantitheo suntus obiciens, quos Mantias pater ad ipsum alendum et instituendum fecerat, ne verbo quidem agit de Cleomedontis liberis, quod procul dubio facere non neglexisset, si matrem Mantiae nubentem secuti fuissent. Unde sequitur eos aut in Cleomedontis domo remansisse aut in tutoris domum transiisse[3]).

1) p. 57, n. 3.
2) [Demosth.] adv. Boeot. de dote, p 1009, § 8 sq
3) ibid. p. 1016, § 28

Lysias in oratione contra Diogitonem narrat huius fratrem Diodotum qui Diogitonis filiam duxerat, mortuum esse filiam et filios relinquentem, quibus Diogitonem tutorem praefecerat [1]). Vidua filia a patre Diogitone iterum nuptum data est, sed liberi matrem non secuti sunt, nam sui iuris facti tutoris et eiusdem avi sui fraude comperta perculsi et lacrimantes i e r u n t a d m a t r e m et una cum illa venerunt ad sororis maritum, qui orationem habet [2]). Haec eadem oratio docere videtur quid de liberis fieret, cum domus paterna a matre relinqueretur, transirentne in tutoris domum an alio quo modo iis prospiceretur. Orator scil. [3]) narrat Diodoti filios, cum Diogiton migraret e Collyto in Phaedri aedes in libellum quemdam eiectum incidisse, quem ad matrem detulerunt, hic autem libellus testimonium erat Diogitonis fraudis. Huius migrationis tempore igitur pupilli in Diogitonis aedibus habitasse videntur; Collytus autem demus urbanus erat [4]), quo fit ut alter orationis locus [5]) absque omni dubio huc respiciat. Ibi enim orator narrat liberos, cum tandem aliquando Diogiton matri et liberis coniugis et patris mortem retulisset et hi defuncto iusta solvissent, primo anno in Piraeeo commoratos esse; omnia enim ad victum necessaria ibi praesto fuisse, his vero deficientibus liberos in astu misisse (ἀναπέμπει), verisimiliter igitur in aedes suas in Collytum.

Ceterequin pupillos solitos fuisse habitare in patris defuncti aedibus aut his relictis in tutoris domo ehei potest ex Aeschinis testimonio [6]), qui narrat Timarchum in aetatis suae flore non pudouisse relictis paternis aedibus vivere non apud tutorem sed apud Misgolam, qui neque paternus amicus neque aequalis esset.

1) p. 894, § 5.
2) p. 896, § 10.
3) p. 901, § 14.
4) Leake, die demen v. Att., übers. von A. Westermann, p. 21.
5) p. 897, § 8.
6) c. Timarch. p. 6, § 42.

Teste Platone [1]) Pericles fratrem natu minorem Alcibiadis Cliniam, quem una cum Alcibiade domi suae videtur educasse, timens ne ab Alcibiade corrumperetur, ab hoc devertit et in Aripbronis fratris sui qui una secum tutor erat [2]) domo educari iussit. Sex vero nondum mensibus praeterlapsis Aripbron nasciens quid Clinia faceret hunc Pericli reddidit.

Isaeus nobis tamen duo praebebit exempla, quibus contrarium factum esse videtur, at re diligenter perpensa vidabimus neutrum iuri attico obstitisse. Theophrasto [3]) a fratre Hierocle uxor desponsa erat quae ex priore cum Euthycrate matrimonio iam filium Astyphilum pepererat. Hunc secum in Theophrasti domum duxit, qui privignum instituit eiusque patrimonium administravit et praeterea sororem ὁμοπατρίαν eius despondit. Meier [4]) statuit hanc Astyphili non ὁμομητρίαν sororem fuisse, sed ab Euthycrate e priore quodam matrimonio susceptam; huic tamen adversantur Schoemann [5]) et Platner [6]); mihi vero Meieri sententia admodum placet, nam Isaeus, opinor, istud ὁμοπατρίαν non addidisset, si filius et filia eodem matrimonio nati essent. Hierochis soror mortuo marito huius domum reliquit et cum dota in manum fratris rediit, quod ex Isaei verbis luce clarius patet: »paternum praedium Astyphili pater meus (Theophrastus) et satis et arboribus excoluit effecitque ut duplo pluris valeret" [7]). Si autem vidua in Euthycratis domo remansisset, dos necessario Astyphilo adscripta fuisset nec Isaeus praetermisisset etiam huius administrationem commemorare, cum narraret Astyphili b o n a p a t e r n a tam bene a Theophrasto habita esse. Praeterea [8]) diserte indicatur Theophra-

1) Prot. p. 320 A, c. 10
2) Plut. Alcib c. 1.
3) de Astyph. her. p 77, § 27 sqq
4) Meier et Schoem d. att proc. p. 410; cf supra p. 6, n 1.
5) ad Isaeum, p 422.
6) d. proc. und die kl II, p. 251
7) Is de Astyph. her p 77, § 28
8) ibid § 27.

sium uxorem a fratre Hierocle accepisse. Quod autem soror Hieroclis cum filio parvulo in novi mariti domum venerit, hoc quo modo intelligendum sit explicare conabor. Videtur mater, licet mariti domum reliquisset, curam filioli alteri tradere noluisse et parvulum secum habuisse. Praeterea autem ex omnibus quae Isaeus de cura et benevolentia Theophrasti erga Euthycratis filium filiamque narrat apparet eum huius liberorum tutorem fuisse, quos igitur non miramur in eius aedibus degisse, praesertim postquam Euthycratis viduam duxerit. Quo fit ut hoc exemplo non evertatur institutum quod dixi valere de liberis, cum matrimonium solutum esset.

Alterum exemplum est in oratione de Apollodori hereditate [1], qui locus tamen aa medicina eget quam ei attulit Schoemann [2]. Thrasylus mortuus erat Apollodoro filio relicto, qui patruum Eupolidem tutorem nactus tam male ab hoc habitus est, ut sui iuris factus actionem tutelae male gestae contra eum instituerit, qua Eupolis tribus talentis multatus est. Interea Apollodori mater nupserat Archedamo, qui uxoris filium omnibus privari videns eum educabat παῖδ᾽ ὄνθ᾽ ὡς ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα κομισάμενος puberique facto ei praesto erat in ea quam modo indicavi actione. Iam autea cum narraverit Isaeus Archedamum duxisse Apollodori matrem, explicari nequit quid istud καὶ τὴν μητέρα κομισάμενος sibi velit, deinde παῖδ᾽ ὄνθ᾽ ὡς ἑαυτοῦ pro παῖδ᾽ ὄνθ᾽ ὡς ἑαυτοῦ ὄντα (quod atticis auribus non gratum fuisset) aut ὡς ἐξ ἑαυτοῦ γεγονότα graece dici nequit; in talibus enim participium addi necesse est. Hanc ob causam Schoemann coniecit legendum esse παῖδ᾽ ὄνθ᾽ ὡς ἑαυτὸν καὶ τὴν μητέρα κομισάμενος, i. e. Archedamus Thrasyli vidua ducta curavit ut Apollodoros, qui antea, ut videtur, apud tutorem educabatur sibi ac matri redderetur. Parva hac mutatione sermonis sinceritas servatur neque sic iuri attico vis ulla affer-

1) l. c. p. 63, § 7.
2) ad Isaeum, p. 301.

tur, nam nunc Thrasylo mortuo vidua eius domum relinquit, ex qua Apollodorus, cum quippe parvulus ibi re manere non potuerit, in tutoris domum transit, unde postea, cum mater Archedamo nupsisset, ab hoc in suam domum ductus est.

Eodem modo Demosthenes post patris mortem a matre educatus est[1]; haec vero remansit in mariti domo, cum tutor Aphobus cui a marito cum dote desponsa erat per testamentum primo tempore in patris Demosthenis aedes migrasset. Postea has reliquisse videtur Aphobus nec ducta Demosthenis matre nec dote quam sibi iam sumserat reddita[2].

Cum non sit opus dicere uxore mortua liberorum condicionem non mutari, tantum superest ut de divortio dicamus; unum tantum hac de re testimonium ad manum est. In oratione adversus Eubulidem[3] de Protomachi divortio narratur. Huic, cum uxorem dimitteret, iam filia nata erat; brevi post[4] idem Protomachus hanc filiam elocasse dicitur. Filia igitur matrem non secuta est, sed in patris domo remansit.

Neaerae filiae exemplum non potest afferri ut huic instituto contrarium. Haec enim praegnans a Phrastore domo eiecta est, postquam hic comperit eam Stephani filiam non esse. Filius igitur natus Phrastori obtrudi nequit, nam quo tempore Apollodorus contra Neaeram egit, matrimonium cum peregrina inire civi attico non licebat, itaque filius ille matris condicionem sequebatur[5].

Iure attico igitur liberi matrimonio quocunque modo soluto sequuntur patrem, ita ut veram esse appareat Apollodori sententiam[6] Athenienses uxores duxisse ingenuorum liberorum suscipiendorum et fidelis

1) Plut. vitae X Rhet. p. 844 A, Dem. c. 4.
2) cf. Schaefer, Dem. u. s. z. 1, p. 249 et 252.
3) [Demosth.] p. 1311, § 40.
4) ibid. § 43.
5) [Demosth.] c. Neaer. p. 1364, § 57.
6) ibid. p. 1386, § 122.

rei familiaris custodiae causa. In ea autem civitate in qua femina post solutum matrimonium eadem esse existimatur atque ante initum, institutum illud de matrimonio ingenuorum liberorum suscipiandorum causa inito nihili fuisset, si liberi tunc matrem secuti fuissent.

LIBER SECUNDUS.

DE PARENTUM LIBERORUMQUE IURIBUS.

I.

DE LIBERORUM CONDICIONE.

1.

DE LIBERIS GENUINIS ET SPURIIS.

Qui apud Athenienses ex iusto matrimonio nati sunt, i. e. ex matrimonio per *ἐγγύησιν* aut per *ἐπιδικασίαν* [1]) inito, sunt et dicuntur *γνήσιοι* ex lege tradita ab eo qui in oratione adversus Leocharem [2]) haece refert »quam desponderit pater aut frater aut avus, ex ea legitimi liberi sunto;" quo loco etsi nihil cautum sit de iis liberis qui ex matrimonio per *ἐπιδικασίαν* contracto nascuntur, rerum naturae tamen convenit etiam hos *γνησίους* esse.

Adoptati legitimorum loco habentur; non tamen plane eadem utrorumque est condicio, quam ob causam idem orator [3]) quam

---

1) cf p. 6, n. 1
2) [Demosth.] p. 1095, § 49.
3) p. 1099, § 64, cf. p 1095, § 40.

gravissime potest discrimen urget, quod inter γένῳ sive φύσει γνησίους et κατὰ τὸν θεσμὸν κυρίως γεγονότας intercedit. Quod discrimen quale sit postea videbimus, cum de adoptatorum condicione agemus.

Γνησίοις opponuntur νόθοι, i. e. nati parentibus, qui aut iuncti non fuerint iusto matrimonio aut iungi non potuissent. Cum autem connubium, quod pro temporum ratione varium fuisse constat [1], necessarium iusti matrimonii fundamentum sit, probe discernenda sunt tempora. Solon eos tantum nothos dixerat, qui nati erant ex concubina; nondum enim prohibitum erat peregrinam ducere, Periclis enim lege non opus fuisset in civitate ea in qua omnino vetitum erat matrimonia cum peregrinis inire, nec necesse fuisset cavere lege ne peregrinorum liberi civium iura obtinerent, cum ea sola matrimonia iusta essent quae inter cives contraherentur. Solon nothos tantum hereditate paterna et iure familiarum excluserat, non vero civitate, sed a Pericle institutum est ut ii tantum ex nothis cives attici forent, qui utroque parente cive attico nati essent. — Hinc igitur post Periclis tempora nothi in duas classes dividuntur: qui nati sunt ex concubina civa attica, ii iure familiarum et paternis bonis arcentur, sed sunt cives attici; qui vero matrem habent peregrinam cum qua connubium non est, ii praeterea civitate carent.

Quae de Solonis lege dixi ampliora demonstratione egere videntur. Ac primum Aristophanes in Avibus [2]) a Solonis lege νόθοις non fuisse ἀγχιστείαν ostendit haec dicens·

ἐρῶ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνός σοι νόμον·
νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν παίδων ὄντων γνησίων· ἐὰν δὲ

---

1) cf. p. 21 sqq.
2) vs. 1660 sqq

παῖδες μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς ἐγγυτάτω γένους μετεῖναι τῶν χρημάτων.

Erunt fortasse qui obiciant abstinendum mihi fuisse hoc comici testimonio; nullo enim modo hinc posse demonstrari quaenam Solonis tempore nothorum condicio fuerit, cum fabula sit acta [1]) multo post quam Pericles legem tulerit, qua ii tantum Athenienses essent qui e duobus Atheniensibus nati essent; igitur credi posse poëtae ob oculos versari Periclis non Solonis legem. Huius argumentationis gravitati etsi aliquatenus assentiam, praesertim cum antiqui cuilibet legi Solonis nomen appingere soleant, quo eius auctoritatem augeant, qui ita censent redargui tamen se patiantur reputantes Aristophanis tempore Periclis legem quidem valuisse, sed poëtae non opus fuisse lege de civitate, sed de iure hereditario; haec autem lex a Solone lata fortasse e Pericle [2]) aucta est. Diligentius vero poëtae locum inspicientes videbimus vera esse quae modo dixi.

Pisthataerus enim ita ad Heraclam [3]):

τῶν γὰρ πατρῴων οὐδ' ἀκαρῆ μέτεστί σοι
κατὰ τοὺς νόμους· νόθος γὰρ εἶ κοὐ γνήσιος.

ἩΡ.

ἐγὼ νόθος; τί λέγεις;

ΠΕΙΣΘ.

σὺ μέντοι, νὴ Δία
ὤν γε ξένης γυναικός· ἢ πῶς ἄν ποτε
ἐπίκληρον εἶναι τὴν Ἀθηναίαν δοκεῖς
οὖσαν θυγατέρ' ὄντων ἀδελφῶν γνησίων;

---

1) Fabula acta est ol. XCI, a.

2) Westermann, Beitr. zur gesch. des att. bürgerrechts (Berichte über d. verhand. des k. sachs. ges. der w. 1849, p. 200). Legem Euclide archonte instauratam esse docet is. da Phil. her. p. 61, § 47, unde is qui leges conflavit ad orat. adv. Macart. [Demosth.] p. 1067, § 61 sua sumsit; sed hac de re infra.

3) vs. 1649 sqq.

ἩΡ.

τί δ', ἢν ὁ πατὴρ ἐμοὶ διδῷ τὰ χρήματα
νόθῳ 'ξαποθνήσκων;

ΠΕΙΣΘ.

ὁ νόμος αὐτὸν οὐκ ἐᾷ.

Haec iam sufficiunt. Heraclem propterea nothum dictum videmus a Pisthetaero, quod natus esset e concubina peregrina. Haec nothi condicio eum non exclusit a nescio qua civitate, sed tantum a paterna hereditate; nulla igitur alia quam Solonis lege ei opus erat, ut Heracli persuaderet illi hoc iure interdictum esse; propterea autem mox Solonis non Periclis legem recitat.

Nothis ex concubina cive attica natis post Periclis tempora civitatis ius fuisse dixi; quod paucis demonstrare conabor. Pyrrhus [1]) ex concubina, Nicodemi sorore, filiam procreavit, postea filium adoptavit; de his orator ita: „eo autem quod fratrem meum adoptaverit, illam vero in phrateras non induxerit, hanc quidem, quod eum decebat, pro spuria, fratrem vero meum heredem honorum suorum declaravit." Filiam hance Pyrrhi, Philen sive Chtareten nominatam, Endius civi attico despondit, Xenocli Coprio [2]), e tribu Hippothontide; ius civitatis igitur isti Philae negandum esse non videtur; despondere enim peregrinas easve ducere nullo modo licebat, neque apparet Endium propter hanc desponsionem poena vel minima afflictum esse [3]).

Sed revertendum ad legem primariam Solonis, qua nothi a paterna hereditate excludebantur; praeter Aristophanis testimonium Isaei est locus, ubi ea commemoratur; at non amplius Solonis lex est, nam Euclidis aetatem refert et ἀγχιστείας vocabulo μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων accesserunt. Legem ipsam tibi ex-

1) Is. de Pyrrhi her. p. 45, § 75.

2) ib. p. 38, § 2; Κόπρειος legendum esse pro Κύπριος satis constat, cum nomen huius demi ex Boeckhii C. I. Gr. I, p 216 innotuerit et praeterea in Dem. or. pro cor. p 249, § 73 meliores libri, in quibus Σ, Εὔβουλος Μνησιθέου Κόπρειος pro vulgata lectione Κύπριος praebeant.

3) cf. supra p. 10, n. 2 de hoc despondendi genere.

promam [1]): (ἐν τῷ νόμῳ) ἐστὶ νόθῳ μηδὲ νόθῃ εἶναι ἀγχιστείαν μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος. Quid vocabula extrema significent mox apparebit, cum Periclis de civitate legem tractabimus; nunc tantum videndum de verbis μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων. Ἀγχιστεία simpliciter significat **cognationem**; sic saepe oratores dicunt hereditatem alicui obvenire κατὰ τὴν ἀγχιστείαν [2]); lex igitur ἀγχιστείαν nothis abiudicans omnibus cognationis iuribus eos exclusit, ita ut numquam haberent facultatem in patris bona atque iura succedendi. Hinc Mantitheus ad Boeotum [3]) haec: »quo tempore pater meus te non asciverat, neque ego te ad me attinere putabam, ex quo autem agnovit, et ego te agnosco. Hoc unde efficitur? **patrimonii partem habes post obitum patris, in sacrorum et profanorum societatem venisti.**" Ecce illa ipsa, de quibus lex cavet; ut iura humana, ita quoque iura divina ad hereditatem pertinent; cui hereditas obvenit, is prorsus fungitur defuncti vice et quod ad bona et quod ad sacra; hereditas sine sacris nulla est; hinc Isaeus alio loco [4]): »equidem non puto quemquam fuisse, qui cupiens filium sibi adoptare ita inconsulto ageret, ut alios illi actui testes advocaret quam illos ipsos, quibus suo ipsius loco relicturus esset filium **sacrorum profanorumque socium.**" Quos Isaeus h. l. indicat iam antea [5]) nominavit, scil. necessarios familiares phrateras demotas. Locus autem Isaei huic proxime praecedens (§ 7) etiam

1) de Phil. her. p. 61, § 47. In orat. adv. Macart. [Demosth.] p. 1067, § 52 ipsa legis formula de iure hereditario ab intestato recitatur, cui sub finem haec eadem addita sunt.

2) Is. de Cleon. her. p. 35, § 4, de Apoll. her. p. 65. § 20, p. 68, § 44, [Demosth.] adv. Macart. p. 1051, § 3 et p. 1058, § 27.

3) Demosth. adv. Boeot. p. 1005, § 35, i. p. haec vocabula: τῶν πατρῴων ἔχεις μέρος μετὰ τὴν πατρὸς τελευτήν· ἱερῶν, ὁσίων μετέχεις.

4) de Astyph. her. p. 75, § 13, in quibus, nisi oratorem ineptire malimus, obtemperandum est Dobreeo, qui vocabula ὥσπερ καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων κοινωνοὺς hoc modo emendat: οἷσπερ καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων κοινωνόν. Schoemannum in eandem emendationem incidisse video Scheibiumque recepisse gaudeo.

5) l. l. § 8.

dignissimus est qui inspiciatur, ut recte intelligatur quid ἱερὰ καὶ ὅσια significent. »est enim consentaneum Astyphilum non modo operam daturum fuisse, ut aliquem sibi filium adoptatum relinqueret, sed etiam ut quae per testamentum constituisset, ea firma et rata essent, et quem sibi filium adoptasset, ut is quoque bonis suis potiretur ad arasque maiorum accederet iisque et sibi vita defuncto iusta faceret.”

Significatione vocabulorum bene perspecta videmus inter Solonis legem quae ab Aristophane traditur et recentiorem Euclide archonte instauratam prorsus nihil interesse, nam quae alii de sacris et publicis iuribus [1]) somniaverunt aut de iuribus privatis et publicis [2]) vix credo cuiquam persuaderi posse ea vocabulis ἀγχιστεία ἱερῶν καὶ ὁσίων inesse.

Nothorum condicio igitur, quod ad ius hereditarium attinet, quovis tempora eadem erat. Ex bonis paternis tamen aliqua pars iis obveniebat, Harpocratio scil. et post hunc Suidas [3]) ex Lysiae et Isaei deperditis orationibus docent nothis ex paternis bonis dari posse summum mille drachmas, quae tamen a scholiasta ad Aristophanem [4]) et a Suida alio loco hunc describente [5]) ad quingentas drachmas minuuntur. Cum vero in orationibus superstitibus nullum hac de re testimonium inveniamus, nescimus utri fides habenda sit; sine controversia tamen lexicographi locos ex oratoribus describentes fide digniores sunt quam scholiasta.

Ut supra monuimus Pericles auctor fuit legis μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίοιν γεγονότας [6]). Hinc igitur altera nothorum classis originem ducit, ei enim qui ex cive attico et

---

1) Petitus. legg. att. p. 214 et Taylor ad Lys. p. 862.
2) H. Schelling, de Solonis legg. apud orr. att. p. 86
3) uterque v. νοθεῖα. Cf. etiam Bekk. A. Gr. p. 282, 18
4) Aves vs 1656.
5) v. ἐπίκληρος.
6) Plut. Pericl. 37, Ael. V. H. VI, 10, XIII, 23. Suidas v. δημοποίητος.

peregrina extra connubium nati erant praeterea carebant civitate. Ipsi tamen Pericli sub finem vitae, cum periissent filii γνήσιοι, huius legis venia data et permissum est ut filium nothum sibi ex Aspasia Milesia natum ad curiales duceret eique nomen Periclis daret. Cum autem post xxxviros omnes leges in examen vocarentur et aut abrogarentur aut instaurarentur [1], haec lex eandem retinuit formam, ut patet ex duobus oratorum locis diligenter comparatis. Isaeus [2]) enim narrat de quadam Cironis filia, quam adversarii legitimam esse negabant, ut huius filium avi hereditate privarent. Hic autem dicit se non solum in hereditatis sed etiam in civitatis discrimen venturum esse, si talia iudicibus probentur, »nam si vos decepti," pergit orator, »creditis ei neganti matrem nostram civem fuisse, nos pariter cives non erimus, quippe post Euclidem archontem nati." Quid hinc aliud effici potest quam Euclide archonte Periclis legem instauratam esse. Altero loco [3] Euxitheus quidam probat patrem suum revera civem fuisse, deinde persequitur: »us temporibus natus est, ut, etiamsi ex altera duntaxat parte fuerit civis, civem eum haberi conveniat, cum natus sit ante Euclidem." Qui igitur ante Euclidem archontem nati erant ex civis cum peregrina aut atticae cum peregrino nuptiis civitate non carebant neque nothi erant. Hoc quomodo factum sit egregie illustravit Schaefer [4]); Athenis scil. propter belli peloponnesii turbas in maximis angustiis versantibus permulti cives patriae amantes ex coloniis eo reverterunt; inter hos multos fuisse credibile est qui aut nati essent matre peregrina aut ipsi peregrinam duxissent; cum autem archonte Euclide Aristophon [5])

1) Andoc. de Myst. p. 11, § 83, Tisameni psephisma. Revera non inter se pugnare Tisameni et Dioclis psephismata (Demosth. c. Timocr. p. 713, § 42) iam demonstravit S. A. Naber in Spec. de fide Andoc. or. de Myst. p. 51 sq.; idem censet Grote, hist. of Gr., VIII, p. 293

2) de Ciron. her. p. 74, § 43.

3) [Demosth.] adv. Eubul. p. 1307, § 30

4) Demosth. und seine zeit I. p. 123 sqq.

5) Athen. XIII, 577 B, c. 38.

legem tulisset peregrina natos νόθους esse, hos omnes qui rebus adversis patriae auxilium ferre non dubitavissent civitate carere necesse fuit. Aristophontis vero lex non diu valuisse videtur, scholiasta enim ad Aeschinem [1]) ex Eumeli Peripatetici libro tertio de vetere comoedia refert Nicomenem legem tulisse, ne quis eorum qui post Euclidem nati essent civitatis particeps esset, nisi ex utroque parente cive natus esset; qui vero ante Euclidem nati essent nulla quaestione habita cives ut haberentur. Quaeri potest quid factum sit de eiusmodi liberis qui nati sint post Euclidem archontem, sed ex parentibus qui eo anno iam iniissent matrimonium. Nisi lex inhumana et iniusta sit dicenda, etiam his idem ius decernendum videtur. Nullus igitur in posterum sermo potest esse de Aristophontis lege qua ante Euclidem nati ex cive cum peregrina pro civibus habiti fuerint, cum revera Nicomenes huius legis sit auctor et Aristophon antea contrariam tulerit.

Nonnulli inter vocabula ξένος et νόθος videre sibi visi sunt discrimen [2]); utroque autem vocabulo eandem quidem significari condicionem, at satis indicari alterutrius vocabuli usu fueritne mater an pater non usus civitate attica. In hanc inducuntur opinionem, quod exstent loci ubi vocabula νόθος et ξένος coniuncta inveniantur, ut in orat. adv. Eubulidem [3]), ubi haec legimus. »licuisset nimirum iis, si νόθος aut ξένος ego essem, omnium mearum opum capere hereditatem," quibuscum omnino conferantur quae paulo ante leguntur [4]). »ego autem, iudices, me Atheniensem esse duco, ut vestrum quilibet sese, et eam matrem ab initio agnosco quam vobis ostendo, neque ex alia natus hanc mihi arrogo; de patre, Athenienses, idem contendo." Cum autem orator h. l. de matre atque de patre locutus sit et

1) c. Timarch. p. 6, § 39.
2) Platner, beitr. zur kenntn. d. att. r. p. 235.
3) [Demosth.] p. 1315, § 53.
4) Id. p. 1314, § 50.

mox sequantur vocabula νόθος et ξένος, censent utrumque nomen differre. Eodem modo Aristoteles [1]) commemorat νόθους et ξένους, sed ita quoque ut inde nihil certi hoc de discrimine statuere possimus.

Grammatici idem quod diximus discrimen inter γνησίους et νόθους tradunt [2]); de nomine ξένος ne apud eos quidem ullum invenitur testimonium.

Meier et Schoemann [3]) docent νόθους relatos esse in demi, non item in phratriae tabulas. Hoc autem probari potest ex comparatione civium adscriptitiorum, nam hi, cum phratriae et gentibus non reciperentur, tamen tribubus et demis adscribebantur [4]).

Isaeus videtur indicare Atheniensea nothos legitimos reddere potuisse; refert enim Euctemonem [5]) senem Alcae cuiusdam rogatu alterum huius liberorum in phrateras suos inducere voluisse suum ei nomen addentem, filium Philoctemonem vero non concessisse neque phrateras admisisse, Euctemonem deinde ira incensum et filii ulciscendi cupidine ardentem desponderi sibi voluisse Democratis Aphidnaei sororem, hoc agitantem ut liberos ex illa muliere procreatos perbiberet et in bona sua immitteret, si Philoctemon cedere nollet, necessarios igitur bene gnaros ab ipso illuc aetatis provecto prolem non esse exspectandam, sed verendum esse na alio quopiam modo liberi prodirent, ex eaque re fore ut multo maius exsisteret dissidium, Philoctemoni persuasisse, ut sineret a patre puerum hunc in phrateras induci

1) Polit. III, 3, 4

2) e. g. Pollux III, 21: γνήσιος μὲν ὁ ἐκ γυναικὸς ἀστῆς καὶ γαμετῆς (ὁ δ' αὐτὸς καὶ ἰθαγένης), νόθος δ' ὁ ἐκ ξένης ἢ παλλακίδος· ὑπ' ἐνίων δὲ καλεῖται μητρόξενος. Non opus est indicare ex quo sermone Pollux ἰθαγένης attulerit; μητρόξενος non invenitur, opinor, praeter apud lexicographos. Cf. etiam Eustath. ad Il. θ, 409, multa praeterea huiusmodi auctorum testimonia cumulare non necesse habeo, cum rem haudquaquam expediant.

3) der att proc p. XX

4) cf. Schoemann, ant iur. publ. gr. p. 192, n. 3 sq

5) de Phil. her. p 58, § 22

condicionibus iis quae Euctemoni placerent, id est uno addito agello. Filio genuino superstite videmus Euctemonem filium Alces (quem Euctemonis nothum fuisse satis videtur probabile) pro suo inscribere phratriae libro; statuendum est igitur, quamquam hoc unicum huiusmodi rei exemplum est, licuisse civi attico consentientibus omnibus quorum interesset liberos ex concubina pro legitimis agnoscere, ita vero ut non paria cum genuinis haberent iura, sed tantum partem honorum paternorum adipisci possent[1]).

Nothos vero missos faciamus, qui in iuris attici disciplina haud minus molestiarum praebent quam inter Athenienses praebuisse credi possunt, et transeamus ad iuris instituta de adoptione.

2.

DE ADOPTIONE.

Ne fabulas mythosque commemorem unde discimus Aegeum habitum esse filium adoptivum Pandionis Theseumque Aegei, praemittam Isocratis locum ex aeginetica oratione[2]), quo apparet ius adoptandi et testamendi faciendi, quod proprie unum est, omnibus Graecis in usu fuisse: »legem defendere debetis," inquit, »per quam nobis et liberos adoptare licet et de re familiari nostro arbitratu statuere, cum legem banc orbis liberorum loco esse intelligatis; quae quidem eam vim habet atque efficit ut et cognati et nulla necessitudine coniuncti inter se magis curent." Deinde affirmat banc legem omnibus Graecis probari, omnes enim, cum aliis de rebus multis dissentiant, de hac idem statuere[3]).

1) cf. Schoemann, gr. altertb., 2te aufl., 1, p. 370 sq.
2) p. 384, § 49.
3) ibid. § 50. Cf. Is. de Men. her. § 24

Celebre adoptionis institutum illustraturi primum videamus de vocabulis quibus hac in re veteres utuntur. Qui sive privatus sive magistratus filium ab alio adoptari sinit εἰσποιεῖν dicitur [1]; filius ipse ἐξεποιήθη [2] sive ἐκποίητος ἐγένετο [3] quod ad patrem naturalem attinet, θετός, ποιητός, εἰσποιητὸς γενέσθαι, ποιηθῆναι sive εἰσποιηθῆναι dicitur adoptantis ratione habita [4]. Qui adoptat ποιεῖται, εἰσποιεῖται, εἰσάγει [5] aut εἰσποιεῖ [6], hoc tamen rarissimo usu, unde adoptans ipse quoque ποιητός dicitur [7]). Adoptio ipsa ποίησις vocatur [8]. Vocabula θέτης, υἱοῦν quaeque hinc nascuntur de industria omitto, quippe quae sint recentioris aetatis.

Verbo iam monui adoptare et testamentum facere arctissime inter sese cohaerere, quod inde ortum est, quod iure attico heredis institutio per testamentum et adoptio inter vivos proprie non differunt; sic apud Isaeum [9]) legimus: »quibus enim filiae sint legitime quaesitae, nemini eorum per leges licet neque filium instituere neque bonorum partem alicui legare nisi cum filiabus," et paullo infra [10]): »lex enim disertis verbis ita praecipit, qui filios nullos relinquat, ei licere bona sua per testamentum cuicunque velit legare; sin autem idem

1) [Demosth.] adv. Macart. p. 1054, § 15, [Demosth.] adv. Leoch. p. 1088, § 24, Plato de legg. IX, p. 878 A.

2) Is. de Apoll. her. p. 68, § 25.

3) ibid. p. 65, § 23.

4) Plato de legg. XI, p. 929 C, IX. [Demosth.] adv. Leoch. p. 1099, § 64, ibid. p. 1088, § 24, p. 1100, § 68, p. 1099, § 63.

5) l. l. § 63. Is. de Men. her. § 10, de Pyrrhi her. p. 45, § 73.

6) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1088, § 24, Is. de Apoll. her. p. 50, § 22.

7) Lys. c. Agor. p. 138, § 91, Lyc. c. Leocr. p. 153, § 48.

8) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1085, § 48.

9) Is. de Pyrrhi her. p. 42, § 42.

10) ibid. p. 44, § 68; qui plura cupiat testimonia adeat Is. de Astyph. her. p. 78, § 34. Κλέων μὲν γάρ φησι τὸν υἱὸν τὸν αὑτοῦ Ἀστυφίλῳ εἰσποιηθῆναι καὶ ταῦτ' ἐκεῖνον διαθέσθαι· ἐγὼ δ' οὔ φημι, et paullo post ἀπέδειξα ὑμῖν ὡς οὐδενὶ ἐκεῖνος δέδωκε τὰ αὑτοῦ. Eodem modo ibid. § 1 iunguntur οὔτ' ἐποιήσατ' ἐκεῖνος υἱὸν αὑτῷ, οὔτ' ἔδωκε τὰ αὑτοῦ, οὔτε διαθήκας κατέλιπεν.

filias relinquat, ita valituram esse voluntatem patris, ut, qui hereditatem eius adeat, is una quoque filiam in matrimonium ducat." Hinc ille qui, cum testari potuit, intestatus mortuus est, ἄπαις diem supremum obiisse dicitur, i. e. prole nulla relicta neque genuina neque adoptiva neque spuria [1]). Nobis vero nunc tantum de adoptione dicendum est quae fit inter vivos, nam adoptio per testamentum et ea quae in iure apud archontem fit alias iuris civilis partes spectant; sed difficillimum est haec omnia ita distinguere ut numquam iuris familiarum fines transgrediaris.

Ipsa natura factum est, ut is cui liberi nati non sint alienos sibi adsciscere cupiat, ne nomen suum atque familia prorsus intereat. Athenienses vel publice huic rei consulebant; lege enim archonti mandata erat familiarum cura ne interirent [2]). Vix opus est demonstrare iam antiquitus exstitisse adoptionem eique iura quaedam tributa fuisse, quod ex legibus apparet quas Solon hac de re sanxit, velut ex ea qua cautum erat omnibus qui adoptati non essent, cum Solon magistratum iniret, licere suo arbitratu sua legare, nisi haberent liberos genuinos mares. In rem tam antiquam ulterius inquirere opus haud ita utile videtur, quare potius ipsa iuris instituta de adoptione consideremus et ordine ad has quaestiones respondeamus, cuinam fuerit ius adoptandi, quis adoptari potuerit, quae reliqua instituta de adoptione valuerint.

A. Quaeritur cuinam sit ius adoptandi.

Primariam legem de adoptione ab oratore Demosthenis aequali [3]) discimus: »si quis orbus et suorum bonorum dominus filium adoptarit, ratum id esto." Vocabulis suorum bonorum

1) Is. de Phil. her. p. 61, § 54: σὺ δ' οὐ παραγενόμενος διαῤῥήδην μεμαρτύρηκας ὡς οὐ διέθετο Φιλοκτήμων, ἀλλ' ὅπως ἐτελεύτησεν.
2) Is. de Apoll. her. p. 66, § 30.
3) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1095, § 13.

dominus operae pretium est attendere; hinc enim illi qui ipse adoptatus est filium sibi adoptare non licet ex lege ab eodem oratore tradita [1]): »qui non adoptati fuerant, cum Solon archontis magistratum iniret, iis testamentum facere suo arbitratu licebat; adoptatis igitur non licet testamentum facere, sed viventes relicto naturali filio redire possunt aut mortui reddere hereditatem proximis cognatis eius qui adoptaverat." Haec ita perspicua sunt, ut explicatione non indigeant; neque tamen ita universa lex exposita est, cui ex Isaei atque Apollodori [2]) testimoniis haec addamus: »nemini non licet de bonis suis constituere prole mascula carenti, nisi si forte furiosus sit aut prae senio aut per aliam quampiam causam hac in lege indicatam mentis parum sit compos;" quae firmantur et augentur ab Apollodoro haece dicente: »considerate porro, ne si orbus quidem quis sit, condendi testamenti potestatem habere, si deliret; aegrotantem aut veneno infectum aut mulieri obsecutum aut senio aut furoribus aut aliqua necessitate circumventum legandi potestatem habere leges vetant." Alio loco [3]) Isaeus docet »nemini ex iis quibus filiae sunt legitime quaesitae per leges licere neque filium adoptare neque bonorum partem ulli legare nisi cum filiabus." Hi loci totam legem videntur continere, quae praeterea in eadem Apollodori oratione αὐτοῖς scilicet ὀνόμασιν hoc modo laudatur [4]). »quicunque non adoptati fuerant, iis sua, ita ut nec impedita sint nec iudicio in ea agatur, cum Solon magistratum iniret, legare suo arbi-

1) ibid p 1100, § 68.

2) de Phil. her. p. 57, § 9, [Demosth.] c. Steph. II. p. 1133, § 16, cf Is. de Men. her § 1.

3) de Pyrrhi her. p 42, § 42; cf. p. 44, § 88; eiusdem legis mentionem faciunt Plut. Sol 21, Dem. adv. Lept p. 488, § 102, Is de Astyph. her. p. 81, § 13.

4) [Demosth.] c. Steph II, p. 1133, § 14: ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ὥστε μήτ' ἀπειπεῖν μήτ' ἐπιδικάσασθαι, ὅτε Σόλων εἰσῄειν εἰς τὴν ἀρχήν, τα αὑτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄῤῥενες, ἂν μη μανιῶν ἢ γήρως η φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκεν ἢ γυναικὶ πειθόμενος ἢ ὑπο τούτων του παρανοῶν ἢ ὑπ' ἀνάγκης ἢ ὑπο δεσμοῦ καταληφθείς.

tratu licet, nisi quis furoribus aut senio aut veneficio aut morbo aut mulieris persuasione aut harum aliqua causa delirel aut necessitate aut vinculis circumventus sit." Adscripsi legis formulam, ut bac saltem occasione probarem sanam mentem nos vetare fidem habere iis legum formulis quae in atticis oratoribus exstent [1]).

Nonnulla praemittam, quae a viris doctis bac de lege disputata sunt: Hieron. Wolf vocabula *ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο ὥστε μήτ' ἀπειπεῖν μήτ' ἐπιδικάσασθαι* interpretatus est: »quibus ius civitatis non ita datum est ut nec abrogari nec in controversiam vocari queat." Petitus: »quicunque cives adscripti non sunt neminc controversiam illis faciante de bonis aut iudicio experiente cett." Reiskio ea non in lege scripta fuisse videntur, sed ab ipso oratore explicationis gratia addita, et ita interpretatur: »qua adoptationa vel arrogatione amiserunt ius excludendi quos velint sua hereditate aut hereditatem virginemve heredem iure petendi." Bunsen [2]) sic vertit: »quicunque adsciti non sint, ut neque excludere (cognatos) neque (corum) sibi vindicare hereditatem possunt." Platner [3]) hoc modo legem commodissime explicari posse censet »die nicht aufgenommene bürger d. h. die geborenen können frei über das ihrige verfügen, so dass es ihnen weder verwehrt noch nach ihrem tode von ihren verwandten eine epidikasia angestellt werden kann."

Haud igitur iniuria Wolf ad hunc locum adscripsit »in his legibus multum est obscuritatis tum propter vetustatem et depravationem tum ob calliditatem oratorum, qui eas et mutilare et suo commodo quovis detorquere solent."

Speciminis causa interpretationes nonnullas attuli, quarum tamen nullam probandam censeo; ad unum omnes enim explicant vocabula *ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο* per cives adscititios aut per cives adscititios et filios adoptatos, quod vix credo legislatorem

1) de legis formula proxime sequenti (p 1134, § 18) cf p. 20, n. 1
2) de iure hered apud Athen. p. 55
3) der proc. II, p 321.

voluisse; evolvas extremam orationem adv. Leocharem [1]) et tibi apparebit ex oppositione vocabulorum ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο et τοῖς δὲ πεισθεῖσιν etiam hoc loco sermonem esse debere de filiis adoptatis. Cavendum igitur ne vocabulis sententiam obtrudamus quae iis non insit, praesertim cum appareat oratorem lusisse et civem adscititium de industria cum filio adoptato confudisse: hic enim uti patre gaudet non naturali, ita ille eiusmodi patria; sic solent oratores; Lysias [2]) e. g. dicit »eum sibi videri non semel tantum mori commeruisse, qui dicat se a populo civem esse adoptatum et cum tamen populum, quem patrem suum vocet, iniuria affecisse deseruisse arguatur," et Lycurgus [3]) monet »homines, quemadmodum erga naturales parentes et adoptivos omnes non aeque sint benevoli, ad hunc modum erga regiones quae natura nos non attingant sed post acquisitae sint minus benigne affectos esse."

Interpretes ad hanc oratoris fraudem an lusum dicam omnino non attenderunt, unde sequitur omnes interpretationes, quae quod dixi fundamenta nitantur, falsas esse. Nihili facienda est Reiskii coniectura ista ab oratore ipso explicandi causa addita esse scriba postquam legem recitaverit; mox enim orator legem interpretatur et ea occasione utendum erat, si perspicuitatis causa aliquid addere voluisset. Quoquo te vertas, innumerae difficultates te obruunt, nullaque ex iis verbis sententia elici potest; fieri potest ut hiatus nobis imponat ut additamentum nescio unde petitum in legis contextum irrepserit, at interpretari talem locum idem duco atque Aethiopem lavare, quare optimum fecerimus hunc locum iis adscribere, quos insanabile vulnus afflixit.

Legitur deinde: ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο — τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι

1) [Demosth.] p 1100, § 68. Nunc demum video ex Schoemanni adnotatione ad Isaeum, p 200 hunc illud ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο eodem modo interpretatum esse in censura Platneri libri in Jahrb. für wissensch. krit. a. 1829, tom. II, p 340.

2) c. Agor p. 138, § 91; quamquam aliquot desunt vocabula, sententia tamen est in aprico. Reiske inserit πεποιῆσθαι.

3) c. Leocr. p 153, § 48

εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, elegantissime quidem pro τὰ ἑαυτῶν et ὅπως ἂν ἐθέλωσιν, sed minus conveniens graeci sermonis legibus. Qui talia conflavit ex oratione ipsa meliora discere potuerat, nam mox sequitur [1]. τούτοις ὁ νόμος δίδωσιν, ἐὰν ἄπαιδες ὦσι, διαθέσθαι τὰ αὑτῶν et σκέψασθε δὲ καὶ διότι οὐδ' ἂν ἄπαις τις ᾖ κύριός ἐστι τὰ αὑτοῦ διαθέσθαι, ἐὰν μὴ εὖ φρονῇ.

Quae in legis formula sequuntur nulla addita circumscriptione aperte falsa sunt. non enim unicuique licet testamentum facere ai liberis masculis genuinis caret. Melius Isaeus [2]) docet legislatorem etiam curasse quid fieri oporteret, si filiae natae essent; melius orator ipse noster in legis interpretatione [3]): »legem audivistis, quae testamenta facere non sinit, si liberi sint genuini." Alius vero locus Isaei [4]) mihi obiici potest, quem ipse supra laudavi; at aliud oratori aliud legislatori agendum est. Hunc enim perspicuum esse oportet nec quidquam non complectatur necesse; oratori vero ignosci potest, quod hoc loco prorsus omiserit legem de eorum testamento qui filios reliquerunt, cum satis constaret Philoctemonem nulla prole relicta decessisse, et hoc ei in primis agendum esset ut adversario demonstraret eum neque furore neque senectute debilitatum testamentum fecisse; rectissime enim censebat haec ab adversario allatum iri, qui nihil magis cuperet quam ut testamentum irritum redderet. Eodem modo alio loco nihil omnino addens de liberorum orbitate haec tantum dicit [5]): »non omnia testamenta lex iubet esse rata, sed ea solummodo quae scribens quisque suae mentis sit compos."

Sed ad legis formulam redeo; numquam mihi diligenter reputanti ipsius oratoris vocabula persuadere potui h. l. tantum partem totius legis recitandam fuisse eamque partem prorsus

1) c. Steph. II, p. 1130, § 15.
2) cff Is. de Pyrrh. her. p. 42, § 42, p. 44, § 60 et Plut. Solon 21.
3) c. Steph. II, p. 1133, § 18 et 16.
4) de Phil. her. p. 57, § 9.
5) de Nicostr. her. p. 48, § 14.

omitti potuisse, unde appareret quid relictis filiabus faciendum esset. Locum enim ex oratione adv. Leocharem [1]) conferentes animadvertimus legem multo plura praecepisse quam hac nostra formula discimus.

In reliqua parte nihil notandum habeo praeter lectionem ὑπὸ τῶν του παρανόμων, quam Bekker ex Reiskii auctoritate contra Wesselingii ὑπὸ τούτων του παρανοῶν tuetur. Bekker ita edendo omnem loci ordinem qualemcunque turbat, cum vix dubitari queat, quin oratores, cum hac de lege dicerent, ipsa legis vocabula in suam transtulerint orationem, et recentiores postea more suo legum formulas conflantes oratores secuti sint: hi antem constanter utuntur verbo παρανοεῖν aut οὐκ εὖ φρονεῖν.

Antiquissimum, ut a multis habetur, iuris attici monumentum pertractavimus et ad vivum resecuimus, quo facto cognoscere licet, quanti huiusmodi antiquitatis reliquiae faciendae sint; in talibus antem summopere cavendum est ne impostores nobis revera imponant; ne itaque ex hac legis formula temere credamus Atheniis civibus adscititiis non licuisse testamentum facere, hac vero de re aliaa agendum erit, nunc satis habeamus didicisse nihil bonae frugis ex his iuri attico redundare.

Demosthenes [2]) narrat Polyeuctum duas filias habentem alteram cum dote elocasse alteram adoptato filio despondisse, unde Schoemann [3]) censet patrem, qui plures haberet filias, reliquas cum dotibus elocare solitum esse, cum unam in universas opes desponderet filio adoptato. Quod, quamvis legis vocabulis ἄνευ τῶν θυγατέρων non satis indicari videatur, tamen re vera non abhorret ab indole iuris attici; nam ita agens pater nihil aliud facit, quam quod facturus fuisset, cum unum tantum filium et plures filias relicturus fuisset, tunc enim his nihil nisi dotes, illi vero universae opes obveniebant.

Varias ex oratoribus leges quas ordine perlustravimus uno

1) [Demosth.] p. 1095, § 40.
2) Demosth. adv. Spud. p. 1028, § 3.
3) gr. alterth. I, 2te aufl. 1, 332; cf. ad Isaeum, p. 250

tenore, ut aiunt, repetentes videmus hoc iuris institutum Athenis valuisse: »si quis ipse non adoptatus suorum bonorum dominus prole mascula genuina non nata filium adoptaverit, ratum id esto. Sin vero filiae genuinae natae sint, non sine his heredem scribito; rata sit eius voluntas nisi furore senectute veneficio morbo correptus aut harum rerum aliqua insaniens aut mulierc impulsus aut vi coactus aut vinculis circumventus ita fecerit."

Una tamen dabatur exceptio: patri scilicet licebat per testamentum adoptare filium, quamquam filii nati erant, quod tamen testamentum demum sub ea condicione ratum fiebat, si filii ante pubertatem decessissent. Isaeus[1]) hoc iuris institutum digito ostendit, legem ipsam ab alio petemus. Cleonymus Polyarchi filius ἄπαις mortuus erat, oritur controversia cuinam eius bona obvenire debeant. Cleonymus enim testamentum scripserat, quod rescindere quidem voluerat, sed repentina morte impeditus fuerat. Qui scripti erant heredes ex testamento sibi hereditatem petunt, proximi cognati vero adversantur: »nos autem," inquiunt, »et sanguinis necessitudine proxima Cleonymum attingimus et usi sumus eo omnium amicissimo; praeterea ius civile nobis hereditatem eius addicit ex titulo propinquitatis; ipse quoque Cleonymus pro sua nostri caritate heredes nos sibi esse voluit, denique pater Cleonymi Polyarchus idemque avus noster praeceperat ut, si Cleonymus nulla prole relicta exstinctus esset, nos in bona eius immitteremur." Lex ipsa vero laudatur ab alio oratore[2]) iudices admonente eam considerare legem, »quae iubet testamentum, quod pater superstitibus genuinis liberis fecerit, si filii ante pubertatem decesserint, ratum esse." Videmus Isaeum per fraudem nullam rationem habere legis instituti, quod iubebat patria testa-

1) de Cleon. her. p 35, § 4
2) [Demosth.] c. Steph. II, p. 1136, § 24

mentum tum demum ratum esse, si filii ante pubertatem decessissent; pro quibus verbis callide nulla prole relicta addidit: praeterea Cleonymus non ante pubertatem obiit, nam testamentum reliquit, quod tantum est eius qui in suam pervenit tutelam.

Athenienses vero legum admodum imperitos fuisse uno exemplo ostendere liceat; Isaeus enim in oratione de Aristarchi hereditate [1]) vehementer negat Aristarchum per testamentum heredem scribere potuisse, quippe cui esset filius genuinus Demochares. Certe potuit ex hac lege, sed testamentum erat irritum, donec Demochares superstes erat, quo demum ante pubertatem mortuo ratum fiebat. Prudentius fecisset causae patronus, si hoc quoque loco iam alterum attulisset argumentum, quo Aristarchus impediebatur, quominus heredem scriberet quocunque vellet modo filia scil. ei superstes erat, sine qua filium adoptare non potuit. Hanc tamen legem, nunc ea non usus, paullo postea [2]) commemorat. Sed hae de controversia infra amplius mihi agendum erit, cum dicam de variis modis quibus patria potestas terminetur.

Plato suae civitati leges conscribens hanc imitatus esse videtur, cum scribit [3]): »si cui filius impubes moriatur sive genuinus sive adoptatus caveto quoque de tali fortuna is qui testamentum scribit, quem alterum filium in meliorem adoptet fortunam."

Inter eos quos lex adoptare vetat, praeter adoptivos ipsos, de quibus iam vidimus, primo loco nominandi sunt ii qui sunt rationi reddendae obnoxii. Disertum huius rei exstat Aeschinis testimonium [4]): »eum qui rationes debet neque opes suas consecrare sinit lex neque donaria templis suspendere neque adoptari neque testamentum facere." Causa non latet: nemo donare legare potest nisi ea quorum ipse dominus

1) p. 80, § 9
2) Il. § 13.
3) de legg. XI, 923 E, VII.
4) c. Ctes. p. 50, § 21.

est, »eorumque" ut ipse orator addit »qui reddendis rationibus obnoxii sunt bona legislator in pignus arripit, donec civitati rationem retulerint."

Sequuntur deinde mulieres et pueri, quibus nulla ultra frumenti medimnum cum altero contrahendi potestas est: testamentum autem contractus est, itaque neque adoptare iis licet, ut Isaeus [1]) affirmat: »puero negatum est de bonis suis constituere, lex enim vetat disertis verbis edicens: puero non licet cum quoquam contrahere neque mulieri ultra singulos medimnos frumenti." Hac scil. argumentatione utitur, ut demonstret a Demochare impubere mortuo Aristarchum iuniorem in filii locum adoptari non potuisse.

Vix opus est demonstrare Petitum [2]) errare statuentem fuisse legem ζῶντα ποιεῖσθαι παῖδα; ex iis quae iam de adoptione dixi luce clarius est licuisse et inter vivos et per testamentum adoptare, et praeterea Petiti sententiam iam satis evarsam a Platnero [3]) video.

Prorsus nihil attuli de aetate legum de quibus egi. Omnes consentiunt legem primariam a Solone latam esse; de reliquis nullum indicium exstat, neque ita ingenio indulserim, ut coniciam Solonis esse debere cum alius esse nequeant, quemadmodum Schellingium [4]) huic tribuentem video legem, qua Areopago iudicium de caedibus voluntariis, reliquis permittitur, cum scilicet Solonis nequeat non esse.

B. De iis qui adoptari possunt.

Orator, qui totus est in hereditariis controversiis, primus nos doceat quis universe adoptari potuerit, neque diu nobis quaerendum est, cum in oratione de Apollodori hereditate [5]) le-

1) de Arist. her. p. 80, § 10.
2) legg. att. p. 216.
3) beitr. p 138.
4) de Sol legg. p. 19
5) p 65, § 16.

gamus adoptanti, cum filium adoptatum in phratriam induceret, iurandum esse per sacra »illum a se filium induci natum e cive attica et legitimo modo.” Itaque *tantum is adoptari potuit qui ex iusto civium atticorum matrimonio natus erat.* Altero loco [1]) idem orator ita verba facit, ac si moris fuerit aliquem ex proximis cognatis adoptare, nam inter rationes, quibus iudicibus persuadere conatur eum cuius causa agitur revera a Menecle adoptatum esse, etiam haec est, Menecli non alium quem adoptaret cognatum fuisse. At hoc oratoris est inventum, cum Demosthenes [2]) Leptini legem ferenti ne populo in posterum liceat cuiquam immunitatem dare propter id ipsum adversatur, quod auctor sit ne quidquam de suis opibus aliis impertiri populo liceat, atque ita agendo ostendat se numquam legisse neque intellexisse Solonis leges, quae iubeant *si cui legitimi liberi non sint licere quem libeat heredem instituere* [3]), non ut genere proximos iure propinquitatis fraudet, sed ut utilitate in medium proposita efficiat, ut homines inter se certent beneficiis. Similia quoque Plutarchus tradit [4]).

Feminas nonnumquam adoptatas esse ab Isaeo discimus [5]); attamen haec proprie adoptio vocari nequit, nam recte idem huius adoptionis indolem indicat, scil. ut aliquis ex adoptatae filiae filiis in adoptantis domum adoptetur. Narrat enim Hagniam sibi pro filia adoptasse sororis suae filiam; sin autem illa acerbo fato tolleretur, Glauconi fratri eius uterino bona sua delegasse. Filiae igitur adoptatae nullum ius videtur fuisse in bona patris adoptantis, si interiret ipsa nondum (quod de meo addo) natis ei liberis; nam Hagnias heredem substituens Glauconem, si filiae adoptatae humani quid accidisset, hoc profecto

1) de Men. her. § 20.
2) adv. Lept. p. 488, § 102.
3) ἐξεῖναι δοῦναι τὰ αὑτοῦ, ᾧ ἂν τις βούληται, ἐὰν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι.
4) Solon, c. 21.
5) de Hagn. her. p. 84, § 8; cf. quoque p. 88, § 41 et supra p. 9, n. 1.

nullam aliam ob causam fecit, quam ut domus sua ne interiret, si proles ex ea nata non esset. Si proles nata esset, iam satis, opinor, testatoris domui consultum erat; aliquis enim ex adoptatae filiis tunc defuncto filius institui poterat.

Hinc quoque factum est ut nonnumquam moribundi iuberent nepotem sibi ex filia nasciturum adoptari in suam domum, ut ab eodem Isaeo discimus [1]), qui narrat Pyrrhum, de quo iam supra [2]) diximus, »alium e cognatis si adoptasset, una cum hereditate filiam quoque ei daturum fuisse uxorem, eique licuisse, si revera sororem Nicodemi curasset sibi despondendam, filiam quae ex ea nata esse diceretur in phrateras inducere ut ex se legitime natam eamque heredam universis opibus relinquere, ea lege ut proximus cognatus eam sibi a iudicibus curaret adiudicandam et a nepotibus, si qui ex filia nascerentur, unus aliquis sibi institueretur filii loco." Eodem modo Apollodorum vidamus sororem suam heredem instituentem [3]), si quid sibi secius accidisset in bello, et simul nuptum elocantem Lacratidae cuidam. Quod plane idem est adoptioni, nam ex iis quae Apollodorus postea peregit apparet eum sororem suam eo consilio Lacratidae despondisse, ut filius ex hoc matrimonio nasciturus in suam adsciscaretur domum; cum enim salvus redux ex ea expeditione, in quam profecturus id testamentum fecerat, hoc antiquasset uxoremque ipse duxisset, sperans fore ut sibi liberi nascerentur, atque ea tamen spes eum fefellisset, filium interea ex sorore natum adoptavit [4]).

Gravissima oritur controversia, num filiae, ut ita dicam, adoptatae sint ἐπίδικοι defuncti proximo cognato. Prorsus desunt testimonia, quibus quid respondeamus discamus. Bunsen [5]) affirmat sine dubio ita fuisse. Equidem nego. Apollo-

1) de Pyrrhi her. p. 45, § 73.
2) p. 72, n. 1.
3) Is. de Apoll. her. p. 84, § 8.
4) Ll. p. 83, § 4.
5) de iur. her. apud Athen. p. 65.

dorus enim, qui sororem in suas opes elocat Lacratidae, hac re ipsa adoptat filium nasciturum ex huius cum sorore matrimonio. Praeterea quae de Hagnia disputavimus satis indicant in filiae adoptione non adeo rationem haberi ipsius filiae quam ex ea natae prolis, itaque statuendum videtur Athenienses, cum filiam adoptasse dicantur, nihil aliud fecisse quam ex hac nasciturum filium adoptasse.

Erant tamen inter cives atticos iusto matrimonio natos qui nullo modo adoptari possent. Aeschines[1]) tradit legem impedire, quominus reddendae rationi obnoxius adoptetur. Supra iam vidimus eidem adoptare non licuisse, quippe qui suarum opum dominus non esset[2]), cum legislator eius bona in pignus arriperet, donec civitati rationem reddidisset. Sed quid hoc ad eum qui adoptabatur? Respondeat Demosthenes[3]). Polyeuctus quidam Leocratem adoptaverat eique filiam natu minorem desponderat; rixa inter eos orta Polyeuctus Leocrati filiam adimit eamque Spudiae nuptum elocat. Leocrates Polyeuctum Spudiamque in ius vocat, et tandem ita transigunt ut Leocrates recepta iis quae de suo in rem familiarem attulerat neque malevolus esset Polyeucto et omne inter eos dissidium esset abolitum. Itaque adoptatus res suas in alienam domum transferebat; si autem ὑπεύθυνος quis est et ab altero adoptatus facto e. g. peculatu damnatur atque interea moritur, a quo repetenda est mulcta, cum ipsius bona patris adoptantis bonis addita sint? Propterea autem lege cavebatur ne liceret ὑπεύθυνον adoptare, ne scilicet civitas damno afficeretur.

Neque licebat ex infamium liberis adoptare; Athenis autem infamia quaedam hereditaria erat; ut igitur vitarent liberos suos infamia notari, ii quibus eiusmodi damnatio

1) c. Ctes. p. 56, § 21.
2) p. 37, n. 4
3) adv. Spud. p 1029, § 4

instabat curabant hos in aliam domum adoptandos, ut Isaeus [1]) docet, ita dicens »alii quidem, quibus res domestica pessum ierit, operam dant, ut liberi sui in alias domus adsciscantur; hi autem in opes obaeratas ultro semet ingerunt, ut etiam bona sua ipsi perdant.” Hoc quoque loco nos uti posse pro argumento, quam ob causam ὑπευθύνῳ adoptari non liceat digito tantum ostendo.

Praeterea [2]) exstat grammatici testimonium, quod non negligendum est, quippe quod eandem Atheniensium consuetudinem indicet; ia enim nos docet multos inter patres, cum in magistratu peculatu facto metuant ne in reddendis rationibus damnentur, liberos suos in aliam domum adoptandos dare. Quod quomodo honestati conveniat, videant qui ita egerint; at suis consulere tunc pluris fuisse videtur quam patriae utilem esse. Equidem suspicor nimis saepe eo modo publicas pecunias una cum filiis in alias domos transiisse.

Nonnumquam etiam iis ipsis, qui infamium liberos adoptassent, infamiae poena imminebat; in psephismate enim de Archeptolemi et Antiphontis damnatione [3]) haec addita erant: »infames sunto Archeptolemus et Antiphon eorumque liberi et spurii et genuini; et si quis ex Archeptolemi et Antiphontis liberis aliquem adoptat, is infamis esto.” Hoc vero in peculiari casu esse factum observandum est.

Iure attico igitur **adoptare licebat omnes, qui nati essent ex iusto matrimonio civium atticorum, reddendis rationibus obnoxii vero infamiumque liberi adoptari non poterant.**

Rectissime quaeritur qui nondum sui iuris sint num tantum cum κυρίου sui consensu adoptari possint; equidem affirmare haud ausim, cum potius negandum videatur. Sunt loci, qui

1) de Arist. her. p. 81, § 17.
2) in Bekkeri A. G. p. 247, 10.
3) Plut. X oratt. vitae, Antiphon sub finem.

nobis fere persuadent consensum necessarium esse, sed accuratius tractati aut nihil probant aut arguunt rem sese non ita habere. Isaeus e. g. narrat [1]) Apollodorum, circumspicientem quem adoptaret, sororem suam, quam maximi faceret, adiisse et **patisse ut sibi liceret eius filium adoptare**, quod impetravit. Nihil hoc loco de consensu necessario agitur, neque mater, quae ipsa semper in alterius manu erat, consensum dare poterat. Praeterea filius ipse iam sui iuris erat. Alius orator [2]) narrat Plangonem concessisse ut filii adoptarentur ab ipsius fratribus; quod nihil aliud significare videtur nisi Plangonem in se recepisse se non adversaturam esse quominus filii sui a fratribus suis adoptarentur. Restat tamen Isaei testimonium haudquaquam spernendum [3]); Menecles, orbitati suae dum consulere vult, fratri suo unicum filium natum esse videt, propterea ei **turpe** videtur postulare, ut hic sibi in adoptionem detur, cum ita agens fratrem filio orbaturus sit. Quae tamen turpia sunt, ideirco legibus non semper vetantur; eodem iure nobis turpe videri possit post patris obitum peti potuisse a proximo cognato ut filia hereditaria a patre iam elocata sibi adiudicaretur, nisi pater testamento filiae maritum vel ex liberis eius aliquem adoptavisset; hoc tamen lex attica iubebat. Deinde, quod Isaeus hoc loco **turpe** tantum dicit, id incalescente oratione [4]) fere iniustum fit; »lubens autem," indignabundus exclamat, »ab adversario, qui sapere se dicit, cognorim, quemnam cognatorum adoptare Menecles debuisset; num istius filium? **atqui ei filium suum non concessisset** prole se ipse orbans" Qui locus si solus exstaret de adoptione, negari non posset κυρίου consensum necessarium fuisse; cauta tamen eiusmodi effatis utendum est, nec vocabulis **atqui ei filium suum non concessisset** maiorem vim inessa

1) de Apoll. her. p 64, § 14.
2) [Demosth.] c. Boeot. p. 1011, § 10.
3) de Men. her. § 10
4) ibid. § 21.

censendum est, quam si orator dixisset Meneclis fratrem pro suo erga filium unicum amore omnibus modis Menecli persuadere conaturum fuisse, ut a tali consilio abstineret, si quando filium adoptare vellet. In oratorum enim interpretatione omnia semper accuratissime sunt expendenda; ipsis legibus saepissime abutuntur. Itaque ne ex hoc quidem loco effici potest parentum aut *κυρίου* consensum necessarium fuisse, cum aliis locis, ubi magis versatur orator in rebus enarrandis neque id agit ut auditorum animos efferat, nihil de eo consensu tradat, mihi autem probabile videtur potius honestatis quam legis institutum fuisse, si quis ab altero filium in suam domum adoptandum peteret.

C. De reliquis institutis ad adoptionem pertinentibus.

Si quis filium adoptasset et ad se recepisset ei curandum erat, ut omnes quorum id scire interesset huius adoptionis certiores fierent; huc facit cura ut in phratrias et demos inducantur. Quem morem ut explicemus ex nostra consuetudine veteres ipsos testes citabimus: Apollodorus Thrasylum sororis filium adoptaverat [1]), qui ipse ea quae in adoptione sua facta erant hoc modo iudicibus enarrat: »Apollodorus a matre mea postquam impetravit ut me sibi filium daret ita festinavit negotium hoc peragere, ut statim me secum domum suam deduceret totamque suam rem familiarem mihi administrandam traderet, quasi ipse huiusmodi curis impar, ego vero idoneus essem. Tum Thargeliorum die festo adducebat me ad gennetas et phrateras et ad aram statuebat. His autem moris est ut quicunque filium inducat sive ex ipso natum sive adoptatum is per sacra iuret illum a se filium, sive is naturalis sit sive adoptatus, induci natum e cive attica et legitimo modo, quae tametsi pater

1) de Apoll. her. p. 84, § 15.

inducens egerit, illi nihilominus tamen omnes et singuli in suffragia aunt, et ubi is qui inductus est omnibus visus fuerit admittendus esse, tum demum neque citius in τὸ κοινὸν γραμματεῖον inseribitur. Tam diligenter et tam severe illi iura sua tuentur. Phrateres igitur et gennetae baud immemores huius legis et Apollodoro haud diffidentes ipsumque me haud ignotum sibi habentes, sed probe scientes ex Apollodori sorore me natum, decernunt omnes nomen meum inscribendum, cum ille solito more per sacra deierasset. Hoc ego pacto ab Apollodoro adhuc superstite sum adoptatus et tabulis phraterum inscriptus hoc titulo. Thrasylus Apollodori, ipso coram adoptante patre, legibus id fieri sinentibus." Hisce vocabulis oratoris, qui tam evidenter et perspicue rem exponit nihil addendum habeo; quae enim de tempore quo inscribebantur h. l. legimus differo ad eam occasionem, qua hac de re mihi amplius agendum erit.

Inscriptus phratriae libro deinde inducendus est tabulis lexiarchicis sive demi libro, ut idem mox enarrat [1]). »priusquam ego e ludis pythicis redirem ita cum demotis egit Apollodorus, se fecisse ut nomen meum ceu filii sui phratriae libro inscriberetur opesque mihi tradidissa; quocirca hortari se demotas ut, si quid sibi humani accideret priusquam ego redirem, in librum suum lexiarchicum nomen meum inscriberent hoc titulo Thrasylus Apollodori, neque contra facerent, et illi quidam istis anditis, tametsi advarsarii in conventu demotarum quererentur negantes me adoptatum esse, tamen et memores eorum, quae ipsi ante tum audiverant tum norant, iureiurando per sacra dicto in lexiarchicum intulerunt nomen meum, sicuti Apollodorus praeceperat; tam certum liquidumque mese adoptionis negotium iis videbatur." [2]).

Haec instituta cum valeant tantum de adoptione inter vivos, eadem opera videamus penes quem inscribendi cura fuerit, si

1) l. l. p. 66, § 27

2) Fere eadem occurrunt in or. de Men. her. § 14.

quis aut per testamentum adoptaretur aut si cognatorum aliquis defuncto filius daretur; illud cum locum haberet verisimile videtur aut ipsum adoptatum ut inscriberetur curasse, si nempe sui iuris esset, aut eius κύριον, si nondum in suam tutelam pervenisset [1]; cum autem ex proximis cognatis aliquis in defuncti domum adoptaretur, hic a patre aut omnino ab eo in cuius manu erat ad phrateras defuncti ducebatur [2] aut, cum ipse iam sui iuris esset, ipse phrateras atque demotas defuncti adibat petebatque ut inscriberetur [3].

T r i b u m i g i t u r e t d e m u m m u t a b a n t a d o p t a t i; sic Leostratus Eleusinius e tribu Hippothontide petebat ut inscriberetur Otrynensium libro [4]. Mutarintne etiam nomen non satis constat. In exemplo Thrasyli Apollodori filii adoptivi, de quo brevi ante diximus, dubium est utrum filius adoptatus iam antea nomen Thrasyli habuerit an post adoptionem demum ab Apollodoro acceperit. Cum vero adoptio instituta sit eo consilio ne familiae perirent et in singulis familiis semper eadem nomina recurrant suspicari licet adoptantem filio a se adoptato saepe nomen indidisse suae familiae proprium. Praeterea lex in parentes auctoritatem conferebat non modo imponendi liberis suis nomen ab initio, sed etiam, si voluissent, delendi [5]; quo loco haec lex traditur etsi tantum sermo sit de liberis naturalibus, tamen idem de adoptatis videtur statuendum esse.

Adoptatis, quamquam patrem et tribum et demum mutabant, mater tamen eadem manebat, nam μητρὸς οὐδεὶς ἔστιν ἐκποίητος, ut disertis verbis docet Isaeus [6]; unde sequitur adoptato in matria bona eadem esse iura atque antea; sed pater naturalis desinit esse κύριος filii ab altero adoptati [7].

1) cf. Is de Arist. her. p. 80, § 8, p. 81, § 15
2) [Demosth.] adv. Macart. p. 1053, § 11
3) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1091, § 38.
4) ibid. l. l. coll. p. 1085, § 17.
5) Demosth. adv. Boeot. p. 1006, § 39
6) de Apoll. her. p. 66, § 25.
7) [Demosth.] adv. Macart. p. 1054, § 15, i. p. haec vocabula, quae a p-

Cum orta esset controversia num adoptio ab omni parte legibus conveniret, phrateras demarchosque iudiciariam sententiam exspectare lex iussisse videtur priusquam adoptati nomen suo inscriberent albo, quod confici potest ex iis quae orator in tali causa dicit [1]. Leostratus vehementissime cupiebat inscribi se tamquam filium adoptatum Archiadae; huius vero heredes adversabantur et postulabant ut domum post factam de hereditate disceptationem demotae suffragia ferrent, non autem prius; demotae hac in re paruerunt non propter semet ipsos, sed propter leges; nam non ferandum esse videbatur eum qui sacramento deposito in hereditatem ageret sese adoptare re nondum diiudicata.

Adoptione omnia iura agnationis adoptati in patris naturalis agnatos pereunt, quod saepius ab Isaeo commemoratur, velut in orat. de Astyphili hereditate [2]: Astyphili ἀνεψιός erat Cleon; huius vero pater in aliam domum adoptatus erat, in qua domo vel filii Cleonis remanserant, qua de causa Astyphilum non contingunt vi legis eos a consanguinitate excludentis. Idem in eadem oratione [3] »nemo fuit umquam," inquit, »qui aliam in domum adoptatus cum esset, hereditatem illius domus adiret unde emancipatus esset, nisi postquam ex formula iuris in priorem domum rediisset." Eadem quoque alio loco leguntur [4], unde praeterea apparet adoptato nullum in bona patris naturalis ius esse; Aristarcho enim duo filii nati esse dicuntur totidemque filiae; alter horum Cyronides adoptatur in alteram domum, reliqui sunt igitur alter filius Demochares et filiae duae, quarum altera

ire dicuntur ἐμοὶ γὰρ οὐκέτι οἷόν τ' ἦν κυρίῳ ἐπιγεγράφθαι εἰσπεποιηκότι τὸν παῖδα εἰς τὸν οἶκον τὸν Εὐβουλίδου.

1) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1092, § 37 sqq.; vide ı p. § 40.

2) p. 74, § 2.

3) l.l. p. 76, § 33.

4) Is. de Arist. her. p. 79, § 4

mater oratoris est; hic in oratione sua ita: »Aristarcho patre defuncto Demochares factus est heres patrimonii; cum vero Demochares infans mortuus esset, tum etiam altera soror, sola relicta fuit universarum opum heres mea mater."

Fieri tamen poterat ut adoptatus reciperet agnationis iura atque propterea ius succedendi in bona paterna, scilicet si rediisset in domum naturalis patris, quod iam paullo ante vidimus. Duobus autem modis hoc efficiebatur, quorum altero adoptio simpliciter tollebatur. Exemplum dabit Demosthenes [1], a quo discimus adoptione sublata etiam omnia quae inde sequi possint tolli. Deinde lege licebat adoptato in suam redire domum filio naturali in adoptantis domo relicto. Hanc quoque legem partim iam tractavimus [2]; nunc alteram videamus partem. Leocrates quidam ab oratore [3] dicitur iniuria semet ipse adoptasse in Archiadis domum, huius tamen frater Midylides familiaribus morem gerens ei non adversatus erat. Deinde Leocrates filio Leostrato in Archiadis domo relicto in patris naturalis domum redierat. Hic vero Leostratus revertitur in domum patris naturalis relicto in Archiadis domo filio adoptato, ita ut per tres deinceps personas primaria adoptio contra leges confirmata sit. »Quo modo," rogat orator, »non contra leges [4], cum ipse filius adoptatus filium adoptatum relinquens in suam reverterit domum?" At cavendum est ne orator nobis imponat, dum subtili quadam ratione auditores in errorem inducere conatur: quaeri enim potest num Leostratus iste revera contra leges egerit, cum non ipse esset Archiadis filius adoptatus; patrem habebat Leocratem;

1) adv. Spud. p. 1029, § 4.
2) p. 63, n. 1.
3) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1087, § 23 sqq.
4) Il. p. 1100, § 68, ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο ὅτε Σόλων εἰσῄει εἰς τὴν ἀρχήν, ἐξεῖναι αὐτοῖς διαθέσθαι ὅπως ἂν ἐθέλωσιν· (immo,) τοῖς δὲ ποιηθεῖσιν οὐκ ἐξὸν διαθέσθαι, ἀλλὰ ζῶντας ἐγκαταλιπόντας υἱὸν γνήσιον ἐπανιέναι ἢ τελευτήσαντας ἀποδιδόναι τὴν κληρονομίαν τοῖς ἐξ ἀρχῆς οἰκείοις οὖσι τοῦ ποιησαμένου.

hic se, non filium, in Archiadis domum adoptaverat; cum Leocrates igitur rediret, reliquit filium naturalem Leostratum in Archiadis domo, hic igitur, ut ita dicam, Archiadis nepos naturalis erat et relicto filio adoptato in pristinam revertit domum. Ex alia vero parte obiici potest Leostratum, cum non haberetur pro adoptato, non potuisse reverti in Leocratis domum. Undique tenemur controversiis, quarum ius atticum nimis ferax est; hoc vero didicisse satis esto legem sivisse adoptatum in domum patris sui redire, si filium naturalem in adoptantis domo relinquerat, at vetuisse eo reverti adoptato filio relicto. Videmur hac ipsa de re Solonis habere legem; in extrema enim hac oratione legimus Solonem instituisse »qui non adoptati essent, cum Solon archontis magistratum iniret, iis testamentum facere suo arbitratu licere." Hoc Solon instituit, et quae sequuntur non sunt legis ipsius vocabula sed oratoris explicatio: »adoptatis autem non licet testamentum facere, sed viventes relicto genuino filio redire possunt aut post mortem reddere hereditatem debent proximis agnatis eius qui adoptaverat" [1]).

Isaeus huius legis bis mentionem facit, at ita ut tantum appareat quid legislator sinat, non quid vetet [2]).

Eandem lexicographi certatim commemorant. nullius tamen

---

1) Igitur cum G. H. Schaefero facio contendenti ultima orationis vocabula non continere Solonis legem sed oratoris explicationem; cum legibus Solonis omnino convenire non nego, at aegre mihi videtur posse coniungi infinitivus ἐξεῖναι in prioribus vocabulis cum participio ἐξόν in posterioribus. Hoc perspexit ille, qui in margine lutetianae pro ἐξόν scripsit ἐξεῖναι, sed negotio οὐκ indicat ἐξόν verum lectionem esse. Reiskii interpretatio (ὁ Σόλων οὐ φησὶν εἶναί τι ἐξόν, i. e. ἀνειμένον καὶ ἐλεύθερον) nihili est; Bekker ex cod. marciano adnotavit lectionem ὡς τοῖς γε ποιηθεῖσιν οὐκ ἐξόν, quae Schaefero vera videtur, quia interpretationi inservit; mihi vero videtur particula haudquaquam opus esse.

2) de Phil. her. p 66, § 44 et de Arist. her. p 80, § 11. Ultimus locus manifeste corruptus est; Schoemann ex Dobraei sententia edidit ἐξ αὐτοῦ δέ τινα ἀγαγεῖν οὐκ ἔστι νόμος pro ἐξ αὐτοῦ τινά, nec tamen locum sic perpurgatum esse censet, quam ob causam ipse haec coniicit ἐξεῖναι δ' υἱὸν αὐτοῦ ἀντεισαγαγεῖν οὐκ ἔστι νόμος, in quibus quid ἀντεισαγαγεῖν significet non perspicio. Locus videtur insanabilis esse, praesertim si libros ipsos inspexeris.

testimonium describere iuvat, praeterquam Harpocrationis [1]), quia solus ille perditae Antiphontis orationis fragmentum servavit: »adoptatis in paternam domum redire non licebat, nisi naturales liberos in adoptantis domo relinquerent, ut testatur Antiphon in oratione de Callistrati tutela et Solon vicesima prima legum tabula." Igitur etiam hic legem Soloni tribuit.

Eadem cum essent iura atque officia filii adoptati et naturalis [2]), filius adoptatus succedebat in omnes facultates eius qui eum adoptaverat; quod tamen non semper fiebat, nam, si quis filio adoptato uxore ducta liberos procrearet (nulla enim lex vetabat eum qui adoptaverat id facere), lex praecepit »fas esse ut adoptatus cum genuinis liberis parem ratam portionem hereditatis sortiretur" [3]).

Ita etiam adoptivis ius erat post mortem adoptantis in huius praedia et opes invadendi sine ἐπιδικασίας actione, quod cum videam a Schoemanno [4]) rectissime explicatum esse, huius utar vocabulis: ἐμβατεύειν non licuit per leges nisi suis heredibus h. e. filiis vel nepotibus naturalibus iisque adoptivis, qui inter vivos adoptati erant; qui autem testamento essent adoptati, hos ἐπιδικασίᾳ uti oportebat. Quamquam Isaeus [5]) universe loquens τὰς ἐπιδικασίας, ait, οἱ εἰσποίητοι πάντες ποιοῦνται: sed minus hoc accurate dictum, et qui inter vivos adoptati erant, sicuti per διαμαρτυρίαν aliorum ἐπιδικασίας submovere poterant (cf. prooem. ad or. de Men. her.) ita ipsos sine ἐπιδικασίᾳ per ἐμβατείαν hereditates occupare potuisse ostendit orator [6]): ἐνεβάτευσεν οὕτως εἰς τὴν οὐσίαν, ὡς ὑπ' ἐκείνου ζῶντος ἔτι εἰσποιηθείς.

Licebat quoque adoptanti partem tantum bonorum filio adoptato relinquere, quod fueritne licitum in quocunque adoptionis

1) v. ὅτι οἱ ποιητοὶ παῖδες.
2) cff. Is. de Men. her. § 10 et de Astyph. her. p. 75, § 7.
3) Is. de Phil. her. p. 62, § 63.
4) ad Isaeum, p. 408 sq.
5) de Pyrrh. her. p. 44, § 61.
6) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1086, § 19.

genere non liquet; solum enim quod exstat exemplum est huiusmodi [1]: Dicaeogenes (II), Menexeni filius, Dicaeogenis (I) nepos, cum trierarchus portu solvisset in Paralo, pugnans apud Cnidum occubuit; hoc sine prole defuncto, Proxenus maritus Dicaeogeniae (I) filiae, pater Dicaeogenis (III) testamentum protulit, cui fidem habentes eorum qui causam dicunt patres hereditatem dividunt; sic hic Dicaeogenes illi Dicaeogeni Menexeni filio filius adoptatus factus est ea lege ut triente contentus esset: reliquorum autem partem ratam sibi a iudicibus adiudicari curabat unaquaeque Menexeni filiarum." Per testamentum igitur heres scribitur Dicaeogenes (III) et in defuncti familiam adoptatur.

De actionibus forensibus quae ex adoptiona poterant oriri Meier egit in Meieri et Schoemanni libro de lite attica [2].

II.

DE PARENTUM ET LIBERORUM INTER SESE OFFICIIS ET IURIBUS.

1.

DE PATRIA POTESTATE.

Inquisita γνησίων et νόθων deinde εἰσποιήτων condicione videndum est de patria potestate, quae tamen apud Athenienses

1) Is. de Dicaeog. her. p. 50, § 2.

2) p. 442 sqq. — Quam perverse saepius in libris de antiquitatibus graecis in iuvenum usum conscriptis res proponantur docet exemplum hoc petitum ex viri doctiss. Michaelis Epitome antiqui. rom. et gr. p. 119: »adoptione alienati non plus M drachmas accipiebant." Quod unde vir doctiss. didicerit plane nescio.

magis est tutela quam potestas, ideoque quam maxime ab eodem instituto apud Romanos abhorret. Ipsum vocabulum quo hoc patris ius significatur apud Graecos non exstat, ita ut cuipiam haec disquisitionis pars nomine a re alieno inscripta videri possit. Sunt tamen officia atque iura patris erga liberos; haec quo modo indicarem non usus patriae potestatis vocabulo nesciebam; veniam igitur oro, si quem in hoc nomina aliquid offenderit.

Adeo lenis legislator hac in potestate tuenda fuit, ut Dionysius Halicarnasensis [1]) testetur Solonem poenas quidem sanxisse in liberos suis parentibus non obedientes, eas vero non graves.

Properemus vero ad ipsa iuris instituta videamusque primum de patris officiis, inter quae primarium est cura liberos inscribendi phratriae et demi tabulis, tum de iuribus denique de variis quibus patria potestas terminatur modis.

A. De patria erga liberos officiis.

Iam semel atque iterum legem attuli qua iubebatur pater, cum induceret filium filiamve in phratriam, iurare [2]) ἦ μὴν ἐξ ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς γυναικὸς εἰσάγειν, i. e. se inducere cive attica et iusto matrimonio natum. Liber autem cui nomina inscribebantur τὸ κοινὸν sive φρατρικὸν γραμματεῖον dicebatur [3]).

1) arch. rom. II, 26

2) cf. e. g. Is. de Pyrrhi her. p. 45, § 73; de Cir. her. p 70, § 19

3) Is. de Apoll. her. p. 64, § 1, p. 65, § 16. Posterius nomen (φρατρικὸν γραμματεῖον) numquam intactum evasit, sed procul dubio semper ita scribendum est. In orat. adv. Leoch. [Demosth.] p 1092, § 41 e. g. scribitur τὸ φρατορικὸν γραμματεῖον. Iam fere evanuit φρατόρων nomen ex bonis et probatis oratorum editionibus (cf. i. p. hac de re Cobeti adnotatio, Mnem. XI, 132); superest hic illic locus, ubi virorum doctorum cruditas librariorum et grammaticorum stuporem nondum superare potuit, at istam tenacitatem aliquando superatum iri haud iniuria augurari possumus, cum cognato φράτωρ expellendum est φρατορικός et rescribendum φρατρικός, quo vocabulo Dion. Halic. (arch. rom. IV, 20) usus est ad Romanorum curiata comitia indican-

Ipso huius disquisitionis initio difficillima oritur controversia, in superioribus auctore Schoemanno explicuimus qui Euctemon filium nothum in phratriam inducere potuerit [1]; restat vero Mantias ex Demosthenis oratione adv. Boeotum, qui multo maiores nobis difficultates praebet, in quibus enucleandis, ut tutius agamus, iuris attici instituta nonnulla breviter commemoranda sunt. Ut vidimus nonnisi genuinos liberos phratriae tabulis inscribi posse, ita iure attico pater, qui liberos suos iis tabulis inscribi non curavisset, hoc ipso arguebat nos legitimo modo natos non esse. Pyrrhus [2] e. g. filiam procreaverat ex concubina; hanc concubinam non uxorem fuisse orator eo demonstrat, quod ex ea nata filia in phratriam inducta non esset. Apollodorus [3] hoc quoque indicium iusti matrimonii dicit, »st quis liberos suscipit et cum ad phrateras tum ad demotas inducit filios, filias autem tamquam suas nuptum elocat.« Etiam filias ad phrateras inducendas esse infra videbimus. Denique reminiscendum est conubium iure attico coniunctionem fuisse legibus descriptam [4]) et liberos ex eiusmodi coniunctione procreatos matris condicionem secutos esse [5]).

Haec firmatur tenentes orationes adversus Boeotum [6]) diligen-

da; praeterea Athenaeus (V, 2, p 185 A) φρατρικὰ δεῖπνα commemorat. Quis serio in animum inducat pro φρατρίαρχος rescribere velle φρατορίαρχος ut est in Bekkeri A. G. p 313, aut cum Suida (v. φράτορες) phratriam dicere φρατορίαν? Ut a φράτηρ derivatum est φρατρία, φρατριάζειν, φρατρίαρχος, sic etiam φρατρικός, non, quod librarii nobis obtruserunt, φρατορικός — Satis duco verbo tantum monere in [Demosth.] or. adv. Eubul. p 1317, § 00 librum lexiarchicum vitiose τὸ κοινὸν γραμματεῖον dici, cum constet hoc nomine numquam alium nisi phratriae librum indicari; sed a loci sententia prorsus abhorret additum adiectivum; orator tantum usus est communi nomine τὸ γραμματεῖον, neque alio opus est indicio, cum praecedat Ἀντίφιλος δημαρχῶν et mox οἱ δημόται sequantur. Librarius igitur de suo adiectivum adpinxit, quod cum perversum sit, eo facilius fraus patet.

1) p 77, n 5.

2) Is. de Pyrrhi her. p. 42, § 73.

3) [Demosth.] c. Neaer. p. 1386, § 122.

4) cf p. 2 sq.

5) [Demosth.] c. Neaer. p. 1364, § 87 sqq

6) Exstant inter Demosthenicas duae orationes adv. Boeotum, altera de no-

ter perlustremus, quo facto videbimus nullum esse dubium, quin nulla iuris familiarum regula laesa sit in iis quae oratores facta esse enarrent; fraudem vero Plangonis causam fuisse ut Mantias peieraverit. Rem ipsam breviter exponam. Mantias[1]) Thoricius, Mantithei filius, vir et rei publicae administratione clarus et eloquentia haud prorsus improbanda, Polyarati Cholargensis filiam duxerat, quae antea nupta fuerat Cleomedonti Cleonis demagogi filio. Haec Mantiae duos peperit filios, Mantitheum, qui orationem habet de nomine et de dote materna, et fratrem natu minorem, qui puer obiit. Mox ipsa uxor mortua est. Haec omnia nulli dubio obnoxia sunt. De reliquis autem aliis alia videntur; quomodo res sese probabiliter habuerit explicare conabor: praeter legitimam uxorem Mantias concubinam habuit Plangonem, Pamphili filiam, ex qua duos suscepit liberos, quos nec phratriae nec demi tabulis inscriptos Plango Mantiam senescentem fraude coëgit pro genuinis habere[2]). Postquam hi phratriae libro inscripti sunt Mantias mortuus est; demi libro vero nondum inscripti erant et maior natu (cui, si oratori credis, a patre Boeoti nomen inditum erat) tabulis lexiarchicis se Mantitheum inscribi curavit; mox controversia inter Polyarati nepotem Mantitheum et Plangonis filium

mine, altera de dote; haec autem a Schaefero haud iniuria Demostheni abiudicatur, cf. Demosth. und s. zeit III, 2, 225 sq.; Dinarchi non esse hanc orationem ipse quo habitus est annus demonstrat (ol. CVIII ⅓), cum Dinarchus tunc vix sedecim annos natus esset (Dion. Hal. Din. 4, p. 636). — In sequentibus autem, ut brevitati consulam, tantum laudabo orationem I atque II et Plangonis filium natu maiorem, ut turbas minuam, Boeotum dicam, Polyarati nepotem autem Mantitheum.

1) Quae narro omnia hic illic sparsa in utraque oratione leguntur; Mantiam oratorem fuisse ostendit Aristot. Rhet. II, 23.

2) Schaefer (l. l. p. 213) censet Plangonem esse potuisse repudiatam Mantiae uxorem, sed iis quae mox afferemus patebit virum doctissimum errovisse. Heraldus (in Animadv. ad Salmas. observ. VI, 14, 3) iniuria cogitavit de digamia; Meier (de bonis damnat. p. 63) censuit Mantiam duxisse Plangonem, sed post mortem prioris uxoris; Platner (Beitr. p. 124 sqq.) idem iudicavit, sed ordinem permutavit; Gans autem (das erbrecht in weltgesch. entwick. I, p. 321) mecum facit, sed altero loco (p. 332) dubitare videtur.

Boeotum oritur de dote materna; interea inter utrumque in iure de nomine quoque agitur. Iudicibus placuit Plangonis quoque filio Mantitheum nomen tribuere. Nobis non quaerendum est, utrum Boeotus sibi iure an iniuria nomen illud indiderit, nec de dote, an Mantitheo recte obvenerit; sed ex ipsis orationibus nobis argumenta petenda sunt, quibus vera esse quae modo diximus arguantur; igitur demonstrandum est **Plangonem fuisse Mantiae concubinam, non uxorem legitimam, eamque hunc fraude coëgisse ut liberos ex hoc concubinatu natos pro genuinis haberet quo facto nuptias, quae nullae unquam fuissent, mentiretur et aperte peieraret.**

Mantiam Plangone usum esse nemo facile infitias ibit; ipse enim orator disertis verbis ostendit [1]) matrem suam obiisse se parvulo puero relicto, istorum vero matrem Plangonem et ante et post eleganti forma mulierem cum Mantia rem habuisse. Alio loco patri suo hanc consuetudinem obiicit [2]): »meam matrem," inquit, »ductam uxorem domi habuit meque et erudiebat et diligebat quemadmodum et vos omnes vestros liberos diligitis, cum istorum autem motre consuetudinem habuit quocunque tandem modo, neque enim hoc explicare meum est." Vel indignabundus enarrat de impensis a Mantia in Plangonis gratiam factis [3]): »cogitetis, iudices, me a matre moriente puerum relictum esse, istorum vero matrem secum istos et complures ancillas alentem et ipsam sumtuose viventem ad ea Mantiam amore captum prachitorem semper habuisse et ad multas impensas faciendas coëgisse." His quidem repugnant, quae altero legimus loco [4]), quo perhibet orator Mantiam parum quidem studiosum fuisse pecuniae faciendae, sed quaerit, quomodo pater, si ita, sumtuosus fuerit, ut legitimo matrimonio ducta

1) orat. II, p. 1016, § 27.
2) orat. II, p. 1010, § 8.
3) orat. II, p. 1023, § 51.
4) orat. I, p. 1002, § 26

Polyarati filia aliam praeterea haberet mulierem, cuius isti liberi sint, et binas familias aleret, illis moribus pecuniam relinquere potuerit? Ex loci sententia tamen apparet huic argumentationi non multum tribuendum esse, nam Mantitheus aliis locis contraria refert et h. l. ipse confitetur patrem suum non attentum fuisse ad rem augendam; praeterea sermonem esse de re parum honorifica arguunt proxime sequentia: »ego vero id omittam." Pudebat eum igitur indicare modum, quo Mantias rem domesticam minuisset, sed eo ipso satis indicavit. Nemo tamen non videt priore loco Mantitheum confiteri Plangonem a Mantia multa accepisse et altero fere negare.

Forsitan quis haec omnia, quae Mantitheus de patris cum Plangone consuetudine refert, oratorias artes dicat; oratorem autem ita locutum esse ut Boeotum cum fratre quasi spurios pungeret; is reputet Mantitheum hoc agentem simul patria memoriae male consulturum et manifeste ostensurum fuisse istos filios procul omni dubio a Plangone partos esse Mantiae, qui deinde ab ea muliere coactus est ut istos pro suis agnosceret [1]. Cur autem Mantias, si revera pater istorum non erat, mulierem non refutavit? Cur mulieri pecuniam dedit, ut negaret istos Mantiae filios esse? Cur in ius vocatus a filio Plangonis natu maiore in iudicium non venit? Mantitheus affirmat eum hoc omisisse [2], veritum ne quis a se, ut versato in republica, alibi uspiam offensus ibi in se incursaret. At tale argumentum nauci non facio, cum potius videatur nihil impedire debuisse Mantiam ipsum oratorem et in re publica versatum virum, quominus in iudicium veniret. Facile alii orationum loci nobis persuadent Mantiam revera patrem Boeoti fratrisque eius fuisse eorumque matrem deperisse; si enim post huius fraudem, quae ab oratoribus totiens culpatur, et Mantiae ipsi, ut opinor, vix ferenda esse debuit, eam cum filiis odisset, non usque ad mortem iis usus esset [3].

1) orat. I, p. 993, § 3 et saepe alibi.
2) c g orat II, p. 1016, § 27 et p. 1023, § 31.

Sunt loci, in quibus Mantias negasse dicitur istos suos filios esse [1]; at Mantitheus ipse fatetur [2] patrem suum decuisse ostendere, qui sibi pro fratribus habendi essent, quod revera fecit in magnum Mantithei ipsius detrimentum; alio loco [3] iudices rogat, ne patiantur Boeotum suo ipsius patri maledicere, neque agnoscere veretur multo credibilius fuisse Mantiam propter viventem mulierem (Plangonem), quam adamaret, mortuae filium contemnere, quam propter mortuam eiusque filium filios a vivente muliere, cuius consuetudine uteretur, non agnoscere.

Cum autem constet Boeotum cum fratre Pamphilo Mantiae ex Plangone filios fuisse, videndum est ne hi forte matrimonio iuncti fuerint. Iusti matrimonii indicium esse vidimus, si quis liberos agnoscit et ad phrateras atque demotas inducit; quod initio non fecit Mantias, nam multis locis [4] probant oratores Mantiam a cupiditate non tentopere victum fuisse, ut Plangonem in aedes suas recipere dignatus fuerit aut credere voluerit istos ex se esse natos. Porro quaerit Mantitheus [5], quamobrem tandem pater, si Polyarati filia desponsa non fuisset nec dotem attulisset, istorum vero mater attulisset, alteros suos negasset esse filios, ipsum vero et agnovisset et instituisset. Mantitheus autem perhibet Boeotum contendere Mantiam pro se celebrasse decimum diem [6] (quo nomina ceteroquin tantum videtur indicari celebratio decimi diei recens natorum) eaque de re Timocratis et Promachi testimonia exhibuisse; sed verisimile mihi videtur Boeotum testes illos non exhibuisse de celebratione decimi diei, sed ut testarentur ipsum a Mantia libro phratriae inscriptum esse, oratoremque callide has duas res permutasse;

1) orat. II, p. 1010, § 6, p. 1016, § 26.
2) orat. I, p. 1005, § 36.
3) orat. II, p. 1021, § 48.
4) orat. II, p. 1010, § 8; cff. orat. I, p. 999, § 18 et p. 1008, § 35, orat. II, p. 1016, § 27.
5) orat. II, p. 1016, § 26.
6) orat. I, p. 1001, § 22, orat. II, p. 1016, § 28, orat. II, p. 1023, § 59.

quod eo verisimilius fit, quod videmus Timocratem illum Boeoti aequalem fuisse [1]).

Haec satis ostendere censeo Mantiam filios sibi e Plangone natos initio neque in phrateras neque in demotas induxisse. Unum tamen locum addam, qui si solus exstaret idem affatim argueret. Athenienses scil. liberos suos ad suos phrateras inducunt; haec ipsa oratio testatur: Mantitheus Mantiae filius inscriptus erat inter Thoricios in Acamantide tribu, Boeotus autem a Mantia nondum inscriptus saltaturus frequentabat Hippothontidis tribus pueros [2]); si ei aeque ac Mantitheo licuisset frequentare Acamantidem, appareret eum iam puerum a Mantia inscriptum fuisse [3]); postea vero ex Hippothontida translatus est in Acamantidem [4]) et inter eius demos Thoricius factus est [5]). Matrem [6]) igitur initio secutus est Boeotus cum fratre, ideoque Plango eos liberos non peperit ex iusto matrimonio, sed ex concubinatu.

Sed cum essent Boeotus cum fratre Mantiae filii ex concubina, nothi erant, neque patri licebat eos pro genuinis libro phratriae inscribere; itaque fortasse pro legitimis habendi sunt [7]). Audio; at huic quoque sententiae oratores adversantur; affirmant enim ubique Mantiam a Plangone coactum esse ut filios in phratriam induceret; fere numquam aliud quid dicunt, ut [8]): »Plango Mantiam decepit, spondens se delato sibi iureiurando utrum liberi sui ex Mantia essent necne non iuraturam esse, iisque factis nullam inter ipsos amplius fore controversiam; cum autem pecuniam sibi stipulata esset sponsoribus datis hac conditione iusiurandum si defert Mantias; quo illa accepto non modo

1) orat. II, p 1017, § 20; p 1028, § 59
2) orat. I, p 1001, § 23; p 1002, § 28.
3) orat. I, p. 1001, § 24.
4) orat. I, p. 1002, § 25.
5) orat. I, p. 1003, § 30
6) cf. Schaefer, Demosth. und s. zeit. III, 2, 218, n. 8.
7) cf p 77, n. 6.
8) orat. I, p. 995, § 3; orat. II, p. 1011, § 11.

istum sed alterum quoque fratrem praeter istum iuravit e Mantia esse genitum: **quo facto illi necesse fuit istos ad phrateras inducare neque ei ulla reliqua fuit excusatio.** Alio loco [1]) orator iudicibus non ignotum esse dicit, quo pacto eum pater agnoscere **ait coactus** [2]); »auditis, Athenienses, nomen hoc penes me fuisse omni tempore, istum vero Boeotum a patre **postquam coactus sit** esse inscriptum apud phrateras." Haec cum ad nauseam repetantur, non dubitandum est, quin revera vim exercuerit in Mantiam Plango; eaque vis tanta fuisse videtur ut Mantias ei non adversaretur, quominus nuptias ementiretur et satisfaciens legi iuraret liberos eos cive attica atque legitimo modo natos esse. Turpissime quidem peieravit, sed alio modo inscribi non poterant. Miramur virum, qualis Mantias fuisse videtur, ita peierare ausum esse, sed ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis; iam vidimus Mantiam Plangonem deperisse [3]), atque hoc satis causae videtur, cur ita egerit; culpa tamen liberari omnino nequit.

Coactum esse inscribere Mantiam Plangonis liberos pro suis, alio quoque argumento ostendam; nonnisi genuinis liberis potestas erat succedendi in patris bona atque iura. Euctemon ille [4]) Alces filium legitimum reddebat, sed ita ut tantum partem paternorum bonorum adipisceretur; Plangonis vero filii cum Polyarati nepote succedunt in universa Mantiae bona, ut multis locis oratores ostendunt: »non adeo stupidus sum," Mantitheus inquit [5]), »aut temerarius ut patrimonii, quod omne fuerat meum, **tertiam partem**, cum istos agnosset pater, **auferri satis habuerim** eaque re acquiescam, de nomine autem litem in hominem adversarium intenderim, nisi commo-

1) orat. I, p. 998, § 18, cff. p. 1000, § 20, p 1005, § 36; orat II, p. 1017, § 29.
2) orat. I, p. 1000, § 21.
3) p. 105, n. 3, p 107, n. 3.
4) p. 77, n. 5.
5) orat. I, p. 996, § 8

tatio nominis mei magnam mihi ignominiam pareret." Ad Boeotum haec [1]): »patrimonii partem habes post patris obitum, in sacrorum et profanorum societatem venisti." Alibi queritur se Plangonis fraude duabus patrimonii partibus privatum esse, cum necessario sibi legibus obtemperandum esset [2]).

Uterque orator igitur perhibet post Mantiae mortem pro rata parte tres filios in eius bona successisse; nec ullum relinquitur dubium, quin ii, qui initio pro nothis habiti sint, post Plangonis fraudem, qua Mantias acquieverit, repente genuinorum locum obtinuerint. Quod si ita non fuisset neque Boeoto ullum ius fuisset dotis maternae in iure petendae, nam concubinarum dotes nullae sunt, contra, ii qui mulieres pro concubinis elocant omnes cavari sibi curant de emolumentis, quorum fructum sperare debet istiusmodi concubina [3]). Unum addam: inter monumenta antiqua, quae a Boeckhio edita sunt in libro de re navali Atheniensium [4]) exstat tabula, in qua verisimillimum est Mantiae nomen legi additis heredibus Pamphilo Mantitheo Mantitheo. Hi pro patre solvisse videntur.

His disputatis spero fore ut mihi contigerit rem vere enarrasse et gravissimam controversiam, quae his orationibus continentur, recte explicuisse. Summo iure Mantias ob id factum a nobis contemnatur; non tamen mirandum in ea civitate, quae

1) orat. I, p. 1005, § 35.
2) orat. II, p. 1008, § 2, p. 1012, § 13, p 1022, § 49
3) orat. II, p. 1012, § 15; cf. Is. de Pyrrhi her. p. 41, § 39 et p. 3, n. 2.
4) die staatsh. der Athener, III, p. 381; tabula X^e, d:

ΜΑΝΤ[ίας Θορίκιος]
ΤΑΜΙΑ[ς γενόμενος εἰς τα νεώ]
ΡΙΑ ΚΑ — — — [ἄρχοντος]
ΥΠΕΡ ΤΟ[υτου ἀπέδω]
ΚΑΝ ΚΛΗ[ρονόμοι]
ΠΑΜΦΙΛΟΣ[Θορίκιος]
ΗΗΗΔΓΡ
ΜΑΝΤΙΘΕΟΣ Θ[ορίκιος] — —
ΜΑΝΤΙΘΕΟΣ [Θορίκιος] — —

Nomen quod partim excidit videtur fuisse *ΚΑΛΛΙΜΗΔΗΣ*, archon. ol. CV, 1.

iamiam a Macedonibus non tam armis quam auro devinceretur, cives in rebus quoque privatis a fraude atque periurio non alienos fuisse. Multa fraudis exempla ubique exstant; qui cognoscere cupiunt, legant orat. adv. Olympiodorum, ad quam Hieron. Wolfio [1]) haec adnotare placuit: »o miram impudentiam hominis, qui suam improbitatem confiteri non erubescat, et dissolutionem iudicum, si talia scelera ulti non sunt!"

Ut filii nati, sic adoptati in phratriam inducebantur. Iam audivimus Apollodorum id copiose enarrantem [2]), quam ob causam nunc eam rem omittere possumus, nec de eo, cuius officium fuerit curare ut adoptati inscriberentur, iterum agere placet. Silentio quoque praeteribo dona et sacrificia (μεῖον κουρεῖον, γαμηλία, φρατερία, ὀπτήρια alia), quae fiebant cum liberi inscriberentur; talia enim potius spectant eam antiquitatis partem in qua de deorum cultu agitur et praeterea ab aliis rectissime tractata sunt [3]).

Tempus anni quo liberi genuini inscribebantur fuisse videtur dies tertius Apaturiorum; id sane constanter grammatici testantur [4]), nam veterum ipsorum testimonia prorsus desunt. Idem de adoptatis valuisse nonnullis videtur [5]), sed nullum exstat testimonium; Boeotum enim cum fratre [6]) non pro adoptatis sed pro genuinis habendos esse supra ostendimus [7]); qua de causa ii recte Apaturiis inscripti sunt. Contra unus locus est Isaei [8]), quo adoptatus narratur Thargeliis in phrateras induci; haec

1) [Demosth.] p. 1168, § 19.

2) p. 84, n. 1; cf. praeterea [Demosth.] adv. Macart. p. 1053, § 13 sqq. De sequentibus cf. p. 84, n. 1.

3) Hermann, gr. alterth. I, § 100, n. 11 et 12. Multa, in quae h. l. inquisivi, iam tractata sunt a Schaefero (Demosth. und s. zeit, III, 2, p. 19—57); non inutile tamen iudicavi eadem iterum pertractare, cum aliquid novi nonnumquam me afferre posse putarem aut aliud saltem consilium persequerer.

4) Proclus ad Plat. Tim. p. 21 B., Schol. ad Arist. Acharn. 146, Etym. M. v. ἀπατούρια.

5) Schaefer, l. l. III, 2, 21.

6) orat. I, p. 995, 4.

7) p. 104 sqq.

8) de Apoll. her. p. 65, § 15.

sacra erant Apollini, illa Iovi; uterque deus autem in primis in sacris gentiliciis colebatur, ille *πατρῷος* hic *Φράτριος* cognominatus.

Quo aetatis anno genuini inscripti sint quaeritur; grammatici dissentiunt [1]), apud oratores nullum certum testimonium invenitur: recens natos inscriptos videmus [2]), at etiam qui iam aliquamdiu vixissent [3]), ita ut videatur moris fuisse inscribi qui recens nati essent, at potuisse tamen idem fieri aliquanto nonnumquam etiam multo post.

Iam monuimus [4]) non solum filios, sed etiam filias in phratriam inducendas fuisse; uno perfungar testimonio [5]): Pyrrho licuisset, si revera curasset Nicodemi sororem sibi despondendam, filiam quae ex ea nata esse ferebatur, ad phrateras inducere ut legitime ex se natam.

Liberi, cum inscripti essent in *κοινὸν γραμματεῖον*, suo tempore ad demotas ducendi erant, ut in *ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* inscriberentur. Nonnulli censent liberos, antequam huic libro inscriberentur, anno circiter quinto decimo aetatis, iterum producendos examinandos tabulis quibusdam inscribendos fuisse, quibus Schoemann [6]) non omnino adversatur, neque tamen iis plane adsentitur, cum illa de re sibi non satis liquere profiteatur. Hanc autem *παίδων δοκιμασίαν* alii rectius ad palaestras disciplinam a civitatis disciplina prorsus alienam referendam esse ducunt [7]), eamque propterea lubenter omittimus et festinamus ad id institutum, quo Atheniensium filii sui iuris et cives attici fiebant.

---

1) vide p. 111, n. 4.
2) Is. de Cir. her. p. 70, § 19, Andoc. de myst. p. 18, § 125 sq.
3) Andoc. l. l. § 127; cf. exemplum Plangonis filiorum.
4) p. 103, n. 5.
5) Is. de Pyrrh. her. p. 45, § 73, cf. 75.
6) ant. iur. publ. Gr. p. 208.
7) Schol. ad Arist. Vesp. 578, ἴσως δ' ἂν περὶ τῶν κρινομένων παίδων εἰς τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας λέγοι, οὐχ ὡς ἐν δικαστηρίῳ κρινομένων, ἀλλ' ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων. Cff. Schrader ad testit. p. 123, Boke schol. hypomn. III, p. 359, Schaefer l. l. III, 2. p. 22.

Evolvas orationem adversus Eubulidem [1]) et videbis oratorem testibus productis probantem *omnia quae opus essent a se praestita esse, scil. se esse introductum ad phrateras et adscriptum inter demotas*. Haec eadem in adoptione facienda erant, nam postquam Apollodorus [2]) Thrasylum ad phrateras induxit, adiit demotas iisque dixit se Thrasylum adoptasse in filii locum eique ad phrateras inducto facultates suas permisisse, ab iisque petivit ut eum lexiarchicis tabulis inscriberent.

Hoc iuris institutum penitus cognoscere cupientibus primum de variis quibus indicetur nominibus videndum est, deinde, quae ut maximi momenti res est ita ab alio aliter diiudicatur, de anno aetatis quo inscribi solerent.

Leges, quae constituebant rationem intercedentem inter epicleri bona eiusque maritum [3]), iubebant filium epicleri ἐπὶ διετὲς ἡβήσαντα matris bonorum κύριον fieri. Sic quoque ii quorum pater obiit non fiebant κύριοι bonorum paternorum πρὶν ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι [4]). Haec locutio primaria habenda videtur ad indicandam aetatem eius qui sui iuris factus est; alibi simpliciter dicitur ἕως ἡμεῖς ἡβήσαιμεν aut istiusmodi quid [5]) neglecta omni temporis notione. Sequitur altera locutio non minus usitata; quae scil. Demosthenis pater tutoribus fruenda concessit, iis concessit ἕως ὁ Δημοσθένης ἀνὴρ εἶναι δοκιμασθείη [6]), quae formula etiam saepissime recurrit omisso vocabulo ἀνήρ [7]). Praeterea occurrit locutio εἰς ἄνδρας δοκιμασθῆναι [8]).

---

1) [Demosth.] p. 1318, § 46.
2) Is. de Apoll. her. p. 66, § 27, cf. de Menecl. her. § 14 et supra p. 98, n. 1.
3) Is. de Cir. her. p. 72, § 31; cf. supra p. 47, n. 2.
4) [Demosth.] c. Steph. II, p. 1135, § 24.
5) Is. de Cleon. her. p. 36, § 10.
6) Demosth. c. Aphob. I, p. 814, § 5.
7) Is. de Astyph. her. p. 77, § 29, Lys. c. Diogit. p. 898, § 9, Isocr. de Big. p. 352, § 29, Demosth. adv. Onet. I, p. 868, § 15.
8) Isocr. Areop. p. 147, § 37.

Hoc *κύριον γίγνεσθαι τῆς οὐσίας* Aeschines [1]) ei coniungit rei, in qua nos nunc versamur. Timarchi scil. pater Arizelus fratris sui Arignoti opes curaverat, certam ei quoque pecuniam, quam ei ad victum destinarat, pensitans. Huic Arignoto primis temporibus post Arizeli mortem, dum Timarchus puer adhuc erat, ab huius tutoribus omnia aequa praestabantur, postquam vero Timarchus in librum lexiarchicum inscriptus est atque suae rei dominus factus est [2]), repulso homine sene et calamitoso eoque patruo suo facultates ipse disperdidit suas et ad victum necessaria tum Arignoto non suppeditavit. Idem orator [3]) satis indicat eos demum in iure agere atque in ius vocari potuisse, qui inscripti essent tabulis lexiarchicis: »nam legislator," inquit, »nondum loquitur cum puero, sed cum pueri necessariis patre fratribus tutore magistris denique iis, in quorum potestate is est; ubi autem in tabulas lexiarchicas inscriptus est et leges civitatis didicit ac cognovit et iam inter honesta et turpia discernere valet, non iam agit cum aliis, sed cum ipso." Idem atque lexiarchicis tabulis inscribi notant locutiones *ἐγγραφῆναι εἰς τοὺς δημότας* [4]) et *ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας* [5]); simpliciter *ἐγγραφῆναι* quoque invenitur [6]). Denique Lycurgus [7]) utramque locutionem *τὸ ἐγγραφῆναι εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* et *τὸ ἐφήβους γενέσθαι* coniungit, quod Aeschines [8]) quoque videtur respexisse, cum locutionem *ἐκ παί-*

---

1) Aesch. c. Tim. p. 14, § 103.

2) *ἐπειδὴ δ' ἐνεγράφη Τίμαρχος οὑτοσὶ εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον καὶ κύριος ἐγένετο τῆς οὐσίας.*

3) Aesch. l. l. p. 13, § 18.

4) [Demosth.] adv. Eubul. p. 1313, § 46, Aesch. de F. L. p. 48, § 150, Demosth. c. Boeot. Passim.

5) Demosth. de F. L. p. 412, § 230.

6) Hyper. apud Harpocr. v. *ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι*. Huc fortasse quoque spectat *εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφῆναι* in incerti auctoris Axiocho [Plat.] 5, p. 366 E.

7) c. Leocr. p. 157, § 76.

8) de F. L. p. 50, § 167, *τοὺς συνεφήβους μάρτυρας παρέξομαι.*

δων ἀπαλλαγῆναι (quod nihil aliud est quam inscriptum esse tabulis lexiarchicis) iungit notioni vocabuli ephebi.

Itaque videmus locutiones ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι, ἡβῆσαι, ἔφηβον γενέσθαι, δοκιμασθῆναι, δοκιμασθῆναι ἄνδρα εἶναι, δοκιμασθῆναι εἰς ἄνδρας, ἐγγραφῆναι εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας, ἐγγραφῆναι εἰς τοὺς δημότας omnes eandem significare aetatem, eam scil. qua Athenienses sui iuris fiebant. Ne quis mihi obiiciat locum, qualis apud Demosthenem [1] invenitur: »vir factus (ἀνὴρ γενόμενος) matri initianti libros lectitasti," dum aliquanto post [2], quasi res enarretur quae longo temporis spatio interlapso secuta sit, legimus: »postquam autem in demotas inscriptus es quocunque modo, id enim praetereo;" quae sic dicuntur ac si multi anni intercesserint inter ea quae priore et quae altero loco adversario orator exprobrat. Tenendum est nequaquam oratoris consilium esse potuisse res quo factae essent ordine exponere; deinde fatendum est revera multos annos potuisse praeterire inter eam Aeschinis aetatem qua ex naturae lege vir esset factus et eam qua revera in demotarum librum inscriptus esset, quod illud ipsum »quocunque modo, id enim praetereo" quodammodo indicare videtur [3]. Quis denique ex tam calido et prope fervente convicio argumenta petat contra rem, quae aliis testimoniis tam firme probetur?

Si pater ipse curare non posset, ut liberi sui in demi tabulas inscriberentur, aut propinqui et amici id curasse videntur [4]) aut ipsi filii; in orationibus adv. Boeotum saltem saepius narrant oratores ipsum Boeotum adiisse demotas rogantem, ut sa Mantithei nomine inscriberent; eodem modo Leostratus [5]) ipse idem petit. Eadem hac oratione [6]) apparet inscribi in demi

1) de Cor. p 313, § 259.
2) l. l. p. 314, § 261 ἐπειδὴ δ' εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφης, ἐῶ γὰρ τοῦτο.
3) cf. p 270, § 130: ὀψὲ γάρ ποτε — ὀψὲ λέγω; χθὲς μὲν οὖν καὶ πρῴην Ἀθηναῖος καὶ ῥήτωρ γέγονεν.
4) Aesch. de F. L. p. 48, § 150.
5) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1091, § 37 et p. 1092, § 39.
6) l. l. p. 1093 § 44, Aesch. de F. L. p. 48, § 150.

tabulas non potuisse, nisi qui phratriae libro inscripti essent. Frustra quaeritur utrum hac occasione inquisitum sit in corporis et animi facultates eius qui inscribendus esset necne. Verisimile videtur probato testimonio demonstrandum fuisse nomen in phratriae album relatum esse, et constet adoptato, qui peteret ut inscriberetur, exspectandam fuisse iudicum sententiam, si quis contenderet eam adoptionem ratam non esse [1]). Ipsum vero corpus aut animum eius qui inscriberetur, examinatum fuisse nullo nititur argumento nisi ipsa verbi δοκιμάζειν significatione [2]).

Iam videamus de aetatis anno quo Athanienses sui iuris fierent. Multa hac de controversia iam disputata sunt [3]); attamen res admodum perspicua est, si tantum recte veterum testimoniis utaris. Cum autem adoptati, si adoptionis tempore iam consecuti essent aetatem eam, qua per leges inscribi possent, quam primum in lexiarchicas tabulas inducerentur [4]), nobis tantum inquirendum est, quo aetatis anno genuini et qui ante hunc annum adoptati essent inscripti fuerint.

Vulgo creditur nullum huius rei testimonium exstare, grammaticorumque somnia viris doctis amplam disputandi ansam praebuerunt; hanc autem disputationis partem a grammaticorum testimoniis incipiam, quia effata diserta ipsorum veterum non exstant; cognita igitur illorum sententia ancipiti videndum erit, utri sententiae horum testimonia conveniant.

Primo inspicias lexicographum in Bekkeri anecd. gr. [5]), qui haec docet: ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι: i. e. duodeviginti annos natum esse; cum enim ἥβη sit aetas sedecim anno-

1) l. l. p 1023, § 40, cf. p. 27. n. 1.

2) Schoemann, ant. iur publ. Gr p. 123; Bake, schol. hypomn. III, p. 359.

3) vide variorum sententias in Schaeferi l. l. III, 2, 18, cf. quoque Bake, sch. hyp. III, p. 355 sqq. et quae nuper conscripsit W. Dittenberger in diss. de ephebis atticis, Goett. 1863, p. 8 sqq Ne acta agere videar lectorem etiam atque etiam rogatum velim ea animadvertere, quae supra (p. 111, n. 3) scripsi.

4) e. g. Is. de Men. her. § 14, de Apoll. her. 66, § 27.

5) p. 255.

rum, τὸ ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι est aetas duobus annis provectior quam ἥβη. Si Aeschinis interpretem evolveris non aliа disces [1]): novimus, inquit, Athenienses inde ab anno duodevicesimo aetatis lexiarchicis tabulis inscribi solere; praecedit autem: inde ab anno duodevicesimo aetatis inducebantur in tabulas lexiarchicas et duos annos inter ἐφήβους versabantur.

His vero testimoniis opponunt alia. Harpocration [2]) enim haec: qui decimum octavum aetatis annum agunt ephebi apud Athenienses dicuntur manentque inter eos biennium; post in lexiarchicas tabulas referuntur, sicuti Hyperides ait in oratione de tutela adversus Charetem; »postquam inscriptus sum et mihi curam rerum matri relictarum lex attribuit, quae iubet mulierem heredem omnesque eius facultates in filiorum potestate esse, cum epheborum biennium excesserint." Sed Hyperidem nihil de vicesimo aetatis anno dicere vides. Pollux fere eadem tradit [3]): inter ephebos octodecim annos nati referebantur et per biennium inter περιπόλους numerabantur, vicesimo aetatis anno tabulis lexiarchicis inscribebantur.

Haec grammatici tradunt; nobis igitur eligendum est inter annum duodevicesimum et annum vicesimum ipsum. Videbimus non dubitandum esse, quin illo anno inscripti fuerint. In his enucleandis mihi opus erat inquisitione in annum natalem Demosthenis; hunc vero natum esse ol. XCIX, 1 atque ol. CIII, 3 sui iuris factum esse vir doctissimus Schaefer [4]) tam lucide

---

1) schol. ad or. c. Ctes. p. 70, § 122

2) v. ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι. Ipsius Harpocrationis auctoritatem sequitur et verba describit auctor Etymol. M. v. ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι.

3) VIII, 105; Pollucis locum respexit schol. ad Plat. Alcib. 1, p. 105 A.

4) l. l. III, 2, 36 sqq. Quod Bakii (schol. hyp. III, p. 340 sqq.) doctissima disquisitio in hanc impeditissimam quaestionem Schaeferum fugit vehementissime miror.

ostendit, ut nihil addi possit, fuere quidem qui adversarentur [1]), sed eos errare haec ipsa demonstratio ostendit. Aliud vero argumentum ex eodem oratore promam: Mantiae filius Mantitheus dicit [2]) se iam in demotas illatum fuisse, antequam pater coactus fuerit filios istos Plangone natos agnoscere; nullum est dubium, quot annos Mantitheus natus fuerit, cum haec Mantiae acciderunt: ipse enim testatur [3]) patrem suum indignatum et rem graviter ferentem sibi statim annos circiter octodecim nato persuasisse, ut Euphemi filiam duceret; ampliore demonstratione non opus est; sicut supra ipse Demosthenes, ita Mantitheus quoque anno duodevicesimo aetatis iam sui iuris erat, igitur cum septendecim annos natus esset.

Iam attulimus Aeschinis testimonium [4]), cum de locutionibus dicebamus, quibus hoc institutum indicatur. Iterum tamen inspiciamus; de se haec narrat: »cum pueritiam excessissem, custos huius regionis (*περίπολος τῆς χώρας ταύτης*) fui per biennium, cuius rei aequales et praetores mihi apud vos testimonium exhibebunt.“ Iunguntur vocabula *ἐκ παίδων ἀπαλλαγῆναι* cum vocabulo *περίπολος*; Athenienses autem duos priores annos aetatis militaria in *περιπόλων* ordinibus militasse notum est; annus autem militaris apud eos est duodevicesimus [5]), cum autem *περίπολον* et *ἔφηβον γενέσθαι* hoc loco eidem aetati tribuatur, necesse est inde sequi idem quod demonstravimus reliquis duobus exemplis petitis ab Aeschinis adversario.

Lycurgus [6]) postremus in censum veniat; »Atheniensibus ius-

1) ut O. Haupt, das leben und staatsm. wirken des Demosth., Posen, Merzbach, 1861, qui p. 7 dicit Demosthenem natum esse a. a. Ch. 381; cf. praeterea Jahrb. fur phil. und paedag. T. 81, 1860, p. 864.

2) Demosth. c. Boeot. I, p. 1003, § 20.

3) [Demosth.] c. Boeot. II, p. 1011, § 11 sq.

4) de F. L. p. 80, § 167; cf. supra p. 114, n. 8.

5) Aristot. apud Harpocr. v. *ἐπώνυμοι*.

6) c. Leocr. p. 187, § 78, cf. Dem. de F. L. p. 438, § 303, *τὸν ἐν τῷ τῆς Ἀγλαύρου τῶν ἐφήβων ὅρκον*. Formulam ipsam legis qualemcunque servatam videas a Polluce (VIII, 106) et Stobaeo (XLIII, § 48, p. 243 G.)

iurandum est," inquit, »quod omnes cives iurant, cum lexiarchico libro inscripti atque ephebi facti sunt, quo scilicet cavetur ne sacra arma dedecorent neque stationem in acie deserant patriam autem defendant et meliorem reddant." Tale iusiurandum demum ab iis praestitum esse, qui iam per biennium inter περιπόλους militassent, quis serio affirmet? Si cui dubium videatur, is attendito ad Demosthenis locutionem (τὸν τῶν ἐφήβων ὅρκον) et concedat necesse aetatem militarem incidere in eundem annum, quo lexiarchicis tabulis inscripti sint.

Harpocration [1]) nobis Aristotelis fragmentum servavit hoc loco nequaquam praetermittendum; philosophi enim effatum grammatico pugnare videbatur cum Aeschinis loco nuperrime tractato, Aristoteles enim dixerat: »altero anno ecclesia in theatro habita ἀποδεξάμενοι τῷ δήμῳ περὶ τὰς τάξεις accepto clypeo et hasta a populo custodiunt regionem et in praesidiis versantur." Aeschines autem dixerat d u o s a n n o s, quod grammatico stomachum movit. Etiam hac in re Schaefer [2]) verum vidisse videtur: orbi parentibus ut ante pubertatem sic etiam primo anno postquam tabulis lexiarchicis inscripti erant immunes erant omnibus liturgiis [3]); militiam equidem his adnumerandam esse non censeo; sed eos quoque militiae vacationem habuisse unius anni ut ordinarent res domesticas hinc ex analogia conilcere licet. Quod si, ut facile mihi persuadeo, verum est, Aeschinem non amplius Aristoteli pugnantem habemus, hic enim de iis, qui parentibus orbi sunt, ille universe de omnibus loquitur civibus; sed praeterea apud Aristotelem sermo est non de omni-

1) v. περίπολος. Leguntur haec: τὸν δεύτερον ἐνιαυτὸν ἐκκλησίας ἐν τῷ θεάτρῳ γενομένης ἀποδεξάμενοι τῷ δήμῳ περὶ τὰς τάξεις καὶ λαβόντες ἀσπίδα καὶ δόρυ παρὰ τοῦ δήμου περιπολοῦσι τὴν χώραν καὶ διατρίβουσιν ἐν τοῖς φυλακτηρίοις.

2) l. l. III, 2, p. 33; cff. quae Bake de Harpocrationis loco disputavit (schol. hyp. III, p. 361 sqq.); coniicit scil. ἀποδειξάμενοι τῷ δήμῳ περὶ τὰς τάξεις et interpretatur; »postquam populo probaverint se peritos esse eorum, quae ad militarem aciem pertinent." Mihi, ut fatear, de loco difficillimo non liquet.

3) Lys. c. Diogit. p. 900, § 24.

bus orbis patre ephebis, ut et Harpocrationi et multis aliis visum est, sed tantum de iis quorum patres pro patria pugnantes occubuerant, quod apparet ex iis quae addit de clypeo atque hasta iis a populo datis. Nusquam enim discimus omnes iuniores istis armis a populo ornari solitos esse, sed tantum liberos eorum qui in bello cecidissent [1]). Si autem omnibus panoplia dari solita esset procul dubio hic illic vestigia huius rei apparerent et impensae ad hanc donationem factae recensitae fuissent, quod tamen numquam fit. Itaque fragmentum Aristotelis nequit laudari ad aliquid demonstrandum de temporis spatio, per quod Athenienses inter περιπόλους militarint; unde sequitur Harpocrationem illum locum aut non totum ob oculos habuisse aut perverse attulisse ad demonstrandum Aeschinem iactare se per biennium inter hos militasse, cum reliqui Athenienses unum tantum annum περίπολοι essent.

Breviter rem peregi, quae tot et tantas iras movit; satis tamen, opinor, apparet eos errare qui statuant Athenienses anno demum vicesimo aetatis inscribi solitos fuisse lexiarchicis tabulis. Ex huius disputationis consilio controversiam prorsus praeterire silentio non potui; quod fere nihil novi attulerim, id spero fore ut mihi culpae non vertatur.

Paucis indicare superest, qui fieri potuerit, ut nonnullis ex grammaticis, quos inter recentiores multi secuti sunt, aliter visum sit. Non perspexisse videntur nihil interesse inter eos qui ἐπὶ διετὲς ἥβησαν et eos qui ἔφηβοι ἐγένοντο. Inde e. g. Harpocration recte scripsit ephebi apud Athenienses sunt qui agunt annum duodevicesimum, et manent inter ephebos duos annos. Male tamen addidit: post hoc biennium in tabulas lexiarchicas referuntur, quod fortasse effecit ex male intellecta locutione ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι, quam retulit ad annos post ephebiae initium, cum referenda esset ad ἥβης primum annum, quae in Graecia,

1) Aesch. c. Ctes p. 75, § 154, Thuc. II, 46, Plat. Menex. p. 249 A.

ut notum est, incidit anno decimo quinto aetatis completo. Inscripti in tabulas lexiarchicas iusiurandum[1]) praestabant in Aglauri fano, quae Cecropis filia Eumolpo cum Thracibus Athenas aggrediente ex oraculo sese e muro deiciens pro patria mortem occubuit. Athenienses hac voluntaria morte belli periculo liberati ad imam arcem Aglauri sacrum condiderunt, ad quod ephebi iurabant[2]) id iusiurandum quod servatum esse vulgo putant, ut vero in talibus fieri solet nubes est pro Iunone[3]).

Tempus anni quo ephebi lexiarchico libro inscribebantur a Schaefero recte definitum est in mensem primum aut secundum attici anni[4]), quibus quid addam non habeo[5]).

Primarium officium patris erga liberos igitur erat curare ut libris phratriae atque demi inscriberentur; praeterea ut filii aliquam discerent artem, ex qua sibi quaestum haberent, quod disorte testatur Vitruvius[6]): »Alexis Atheniensis ait ideo oportere laudari, quod omnium Graecorum leges cogunt parentes ali a liberis, Atheniensis non omnes, nisi eos qui liberos artibus erudissent." Huius legis Solonem auctorem fuisse tradit Plutarchus[7]). Aliam legem, quam Petitus[8]) re-

1) cf. p. 116, n. 6
2) Philochorus in schol. ad Dem. de F. L. p. 436, § 603.
3) cf. Cobet, Mnem. V, 271, IX, 125.
4) l. l. III, 2, 29, cf. Jahrb. f. phil. und paedag. T. 61, 1860, p. 164
5) In tota hac disquisitione de industria omisi Dion. Halic. testimonium (arch. rom. II, 66), qui miratus legum atticarum lenitatem prae romanarum asperitate quod ad patriam potestatem attinet haec addit: *οἱ μὲν γὰρ τὰς ἑλληνικὰς καταστησάμενοι πολιτείας βραχύν τινα κομιδῇ χρόνον ἔταξαν ἄρχεσθαι τοὺς παῖδας ὑπὸ τῶν πατέρων, οἱ μὲν ἕως ἂν τρίτον ἐκπληρώσωσιν ἀφ' ἥβης ἔτος — ὡς ἐκ τῆς Σόλωνος νομοθεσίας ἔμαθον.* Non multis opus esse opinor ut evincam aut ipsum Dionysium aut librarium errasse *τρίτον* cum scriberet pro *δεύτερον*. Possunt excogitari causae quae hunc errorem pepererint, sed satis duco eas omittere; vel ex ipsa locutione *ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι*, quae sexcenties recurrit, liquido constat errorem commissum esse
6) praef. lib. VI.
7) Solon, c. 22.
8) legg. att. p. 230

16

perisse sibi visus est in Isocratis Areopagitico[1]) dubito an non pro lege habenda sit.

Supra[2]) iam vidimus matre mortua dotem maternam liberis obvenire, patrem vero huius dotis usus fructum habere quoad liberi sui iuris sint et inde liberis institutionem praebere oportere.

Denique, quamvis officium dicendum non sit, observendum est contra patrem qui liberos ad corpore merendum prostituerit *γραφὴν ἑταιρήσεως* esse[3]).

B. De patris in liberos iuribus.

Qui inquisiturus est in iure parentum in liberos, ei summopere cavendum est ne liberorum officia cum parentum iuribus confundat. At, ut vidimus patriam potestatem apud Athenienses fere nullam fuisse, sic etiam singula iura non magnam habuisse vim tuto statui potest. In primis hac in parte nobis apparebit, quam parum iuris attici instituta nobis innotuerint aut propterea quod pauca tantum fuerint aut propter ingentem quam monumenta antiquarum literarum graecarum passa sunt iacturam.

In omnibus magnis civitatibus fieri solet, ut recens nati pueri exponerentur; de Athenis aliud quid si censeamus stultum sit; si ipsorum testimonia non ostenderent, tamen res ita verisimilis foret, ut eam verem dicere non dubitarem. Sed quoniam veteres ipsos loquentes inducere soleo, non facere possum quin unum saltem alterumque exemplum laudem; in Aristophanis Nubibus[4]) ita dicentem mulierem audimus·

κἀγὼ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦ, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα.

Posidippus[5]) hunc Atheniensium morem ita ostendit:

1) p. 128, § 43 sqq.
2) p. 59, n. a.
3) Aesch. c. Tim. p. 2, § 13.
4) vs. 530 sqq; cf. Ran. vs. 1198 sq. de Oedipo et schol. ad hunc locum.
5) Stobaeus Flor tit. 77, 7.

υἱὸν τρέφει πᾶς κἂν πένης τις ὢν τύχῃ,
θυγατέρα δ' ἐκτίθησι, κἂν ᾖ πλούσιος.

In fabulis latinis ad graecarum instar expressis sat exemplorum occurrunt, sed propterea parentibus atticis ius fuisse exponendi liberos nescio an non recte hinc efficiatur. Nulla autem lex hoc ius tribuebat neque ulla id fieri vetabat. Grammatici multa tamen narrant de χύτραις, in quibus pueri exponi solebant, recentiores eos sequuntur nec dubitant docere liberos exponere licitum fuisse [1]).

Huic legem alteram addunt, quae patri ius vitae atque necis in liberos concessisse perhibetur. Oratoris promam locum, unde luce clarius patet hoc ius, si quando exstiterit, iam olim viguisse desiisse. Aeschines scilicet laudata Lacedaemoniorum temperantia ita pergit [2]): „ne vero Lacedaemoniis assentari videar maiorum etiam nostrorum mentionem faciam; hi enim tam iniquis animis improba ferebant suorumque liberorum modestiam tanti faciebant, ut civium quidam deprehenso filiae suae stupro, cum puella formam suam usque ad nuptias non diligenter custodisset, eam una cum equo in vacuam domum incluserit, a quo in illo carcere sine dubio fame afferato interitura esset. Ac solum illius domus etiam nunc in vestra urbe exstat et locus ille παρ' ἵππον καὶ κόρην appellatur. Solon autem legislatorum clarissimus scripsit more antiquorum et graviter de disciplina matronarum."

Acerrimum ius vitae ac necis a cive attico in filia exerceri

1) Verbum inde natum χυτρίζειν cum composito ἐγχυτρίζειν apud vetere occurrit, cf. e. g. Arist. Vesp. 289 et schol. ad h. l.; recentiores autem nimis temere grammaticis credere docet exemplum Schoemanni, qui ita (gr. alt. 2te aufl. I, p. 517): „es stand dem vater frei das kind, was er nicht auferziehen wollte, wenn nicht zu tödten, so doch auszusetzen, und dass dies wenigstens in den zeiten, deren sitten die neuere komödie schilderte nicht so gar selten geschehen sei erkennt man aus den römischen nachbildungen dieser. Saepius factum esse concedo, licitum fuisse ne haec quidem exempla mihi persuadent.

2) c. Tim. p. 26, § 182.

videmus, cuius supplicii memoriam ne diuturna quidem aetas delere potuerat; populus enim locum illum παρ' ἵππον καὶ κόρην dictitabat. His vero narratis orator antiquissimam eam aetatem mox relinquit et Solonis graves quidem leges de mulieribus, eas vero mitiores quam antiquitas suo sanxerat exemplo, enarrare pergit. His tamen nobis nunc non opus est. Bonum factum autem, quod aliunde iudicare possumus quid Solon constituerit de eiusmodi puellis, quales ex Aeschine cognovimus antiquitus a patribus suis crudelissime potuisse interfici; Plutarchus [1]) enim narrat eum omnino vetuisse vendere sorores aut filias, praeterquam si quis eas etiam innuptas amore illicito fruentes comprehenderit. E diametro sibi oppositae sunt rationes, quas Aeschines et Plutarchus enarrant; ille vero rem ex remotissima refert antiquitate, hic fortasse rem veram describit, cui aliquatenus fides habenda est; Solon autem Atticorum instituta de patria potestate in multis mitigavit; antea [2]) enim multos aere alieno obrutos coactos fuisse suos ipsorum liberos vendere diserte testatur historicus; nulla enim lex id impediebat. Cum vero legislatorem videmus patriam potestatem ita coërcentem, ut vel omne ius in corpus parentibus adimat praeterquam ea quam vidimus occasione, nobis conicere licet brevi ante ius vitae ac necis in liberos parentibus non amplius concessum fuisse. Dionysius Halicarnassensis [3]) etiam dicit Solonem Pittacum Charondan poenas quidem in liberos sanxisse, eas vero non graves: si parentibus dicto non audientes sunt liberi, eos foras eiicere permittentes et opibus privare; nihil vero ultra. Quis autem post haec Sexto Empirico [4]) credat narranti Solonem legem sanxisse unicuique licere suos interficere liberos?

1) Solon, c. 23
2) l. l. c. 13.
3) arch. rom. II, 28.
4) Pyrrh. Hyp. III, 24; cf. Wesseling ad Petiti LL. AA. p. 236, 2, ubi Hermogenis et Sopatri testimonia laudantur.

Inter iura patria in liberos etiam refertur abdicatio liberorum, quae graece ἀποκήρυξις dicitur; quod ius, vocabuli vim si spectamus, nihil aliud dicere possumus quam promulgationem per praeconem, ut scil. omnibus innotesceret filium domus paternae non amplius esse participem.

Grammatici et lexicographi magnam nobis reliquerunt copiam testimoniorum hac de re, at veteres fere ad unum omnes nos deserunt. Iam memoravimus Dionysii locum, unde discimus patri licuisse liberos dicto non audientes foras eiicere eosque ab hereditate excludere, unde sequitur abdicationem non sine exheredatione fieri solitam esse [1]). Aliud quoddam praeterea videtur exstare testimonium Demosthenis, qui locus tamen dignissimus est qui diligentius inspectetur. Orator [2]) inquirit liceatne filio

1) Valde memorabilis thesis est aliquot ante annos ab I. C. van Assen de abdicatione apud Athenienses promulgata (nieuwe bijdr. voor regtsg. en wetg. 1855, V, p. 232, n. 3): „iure attico non licuit patri filium abdicare et a domo eiicere non cognita a iudice causa, repetenda ut videtur ex impietate eius erga patrem. Forma fuit ἀποκήρυξις sive promulgatio per praeconem, ut omnibus innotesceret filium non amplius participem esse domus paternae neque aes alienum, si quod deinceps contraxerit, ad patrem pertinere. Quamquam testimonia desunt vix dubitandum est, quin pater cum filio in gratiam rediens eum recipere potuerit in domum et in iura familiae. Exheredatio iure romano vertitur in Basilicis ἀποκήρυξις, perperam; nam valde interest inter utramque poenam. Exheredatio post patris obitum vim et efficacitatem habere incipit (cf. Gothofredus ad Cod. VI, tit. 47, const. 6). Quaerere licet an filio familias atheniensi abdicato remedium fuerit concessum, quale querela inofficiosi testamenti fuit in foro romano. — Ceterum, quae Plato (de legg. XI, 266 ed. Bekk. [c. 9, p. 926 D. Steph.]) loco illustri de abdicationis forma in republica, quam ipse informat, praecepit emendandi sunt, ut emendare voluisse videatur, quae in hoc instituto vitia deprehendisset."

2) adv. Boeot. p. 1008, § 39. In oratione ipsa legitur: εἰ μὲν τοίνυν αὐτὸς ἔχει δεῖξαι νόμον ὃς ποιεῖ κυρίους εἶναι. Hieron. Wolf ad haec annotavit: „ποιεῖ — εἶναι· τὸ εἶναι malim ἀπεῖναι", quod G. H. Schaefer „iusto fastidiosius" dixit. Sed hic ita iudicanda non omne omnibus ademit dubium, mihi saltem non persuasit; numquam reperies ὁ νόμος ποιεῖ τινα κύριον εἶναι, sed constanter εἶναι omittitur, aut si additum est (ut c. Steph. II, p. 1164, § 19) expellitur. In talibus amant eruditi grammatici vocabulum appingere, ut quoque factum est in Aesch. or. c. Tim. p. 3, § 15, ubi emblema ποιοῦσιν iam deletum est post vocabula ἐν ᾧ διαῤῥήδην γέγραπται, ἐάν τις ὑβρίζῃ εἰς παῖδα — γραφὰς ὕβρεως εἶναι. Nostro vero loco, ut nunc legitur, non

nomen sibi a patre datum mutare, »quod si iste legem ostendere potest," inquit, »quae filiis suorum nominum potestatem dat (id quod iste nunc dicit) recte decernetis; sin lex, quam omnes nostis aeque atque ego, in parentes auctoritatem confert non modo imponendi nominis ab initio, sed etiam si voluerint delendi, atque ego ostendi patrem, cui lege potestas ea dabatur, isti Boeoti, mihi vero Mantithei dedisse nomen, qui vos potestis alia quam quae ego dico iudicare?"

Vocabula ad rem nostram facientia in codicibus duplici modo leguntur: *τοὺς γονέας ποιεῖ κυρίους οὐ μόνον θέσθαι τοὔνομ' ἐξ ἀρχῆς ἀλλὰ κἂν πάλιν ἐξαλεῖψαι βούλωνται καὶ ἀποκηρῦξαι.* In libris Marcianis ($F\Phi$) contra: *καὶ πάλιν ἐξαλεῖψαι ἐὰν βούλωνται καὶ ἀποκηρῦξαι.* Utraque lectio per se proba est; facillima quaeque tamen in tali re non semper veram lectionem tradunt, sed saepius explicandi gratia inventa sunt, intricatior autem et magis recondita prior est lectio *ἀλλὰ κἂν πάλιν ἐξαλεῖψαι βούλωνται καὶ ἀποκηρῦξαι*, quae sine dubio vera habenda est. Doctissime antem de hoc loco interpretando Valckenarius [1]) egit, cuius sententiae lubens subscribo: »contendit actor parenti soli ius esse nomen liberis imponendi atqua id ipsum, si velit, cum alio rursus commutandi: — parentibus potestas conceditur *οὐ μόνον θέσθαι τοὔνομ' ἐξ ἀρχῆς ἀλλὰ καὶ πάλιν ἐξαλεῖψαι, ἐὰν βούλωνται, καὶ ἀποκηρῦξαι.* Nemo erit, opinor, qui de generis abdicatione hoc intelligendum amplius censuerit." At post Valckenarium nemo fuit qui haec ita intelligenda esse non censuerit. Loci vero rationem non perspexerunt ii qui summo viro adversati sunt; agitur enim in tota orationa tantum de nomine, nulla fit mentio de liberorum

---

inesi sententia, quaa inessa debet; orator enim alia dicit, alia dicere videtur; dicit scil.: »si Boeotus legem indicat, quae p o n a t filium sui ipsius nominis potestatem habere", quod eum voluisse dicere nego. Propter *ποιεῖ κυρίους* in vicinia librarii oculi aberraverunt, et praetervidit hic scribendum esse *ὃς κελεύει κυρίους εἶναι κτέ*, ut saepius alibi legitur e. g. apud Is. de Nicostr. her. p. 48, § 14, [Demosth.] adv. Phaen. p. 1047, § 27.

1) ad Amman. p. 26.

abdicatione; patri fuit ius liberis nomen imponendi et si voluisset adimendi; quod si facere vellet, opus erat ut huius rei omnes certiores faceret eamque per praeconem promulgandam curaret. Haec est illa promulgatio, de qua noster orator agit, et spero fore ut omnibus in posterum persuasum sit hunc locum nihil facere ad abdicationem quam tractare coepimus. Ab iis vero qui negent haec ita se habere indicatum velim ubi tandem in nostro loco legatur τοὺς παῖδας ἀποκηρῦξαι licuisse parentibus.

Novam igitur cognovimus legem, que statuebatur parentibus ius fuisse liberis imponendi nomen et si ita voluerint mutandi. Iocose Aristophanes [1]) enarrat controversiam inter Strepsiadem eiusque uxorem ortam esse, quod nomen suo recens nato filio imponerent, neque possum quin eius versus describam.

μετὰ ταῦθ' ὅπως νῷν ἐγένεθ' υἱὸς οὑτοσὶ
ἐμοί τε δὴ καὶ τῇ γυναικὶ τἀγαθῇ,
περὶ τοὐνόματος δὴ 'ντεῦθεν ἐλοιδορούμεθα·
ἡ μὲν γὰρ ἵππον προσετίθει πρὸς τοὔνομα,
Ξάνθιππον ἢ Χάριππον ἢ Καλλιππίδην,
ἐγὼ δὲ τοῦ πάππου 'τιθέμην Φειδωνίδην.
τέως μὲν οὖν ἐκρινόμεθ' · εἶτα τῷ χρόνῳ
κοινῇ ξυνέβημεν κἀθέμεθα Φειδιππίδην.

Ex oratoribus afferre exempla quibus apparet parentes semper hoc iure usos esse supersedeo, cum ubique nulla opera inveniri possint; nusquam tamen incidi in nominis mutationem.

Nunc tamen oblata occasione primum videamus de modo quo nomen a parentibus liberis suis imponeretur. Hoc solemni modo fiebat decimo die postquam infans natus erat [2]); Harpocration [3]) et Suidas [4]) tamen auctore Aristotele referunt id quo-

1) Nubes, vs. 60 sqq
2) Demosth. adv. Boeot., p. 1000, § 20, p. 1001, § 22; Is de Pyrrhi her. p. 41, § 30
3) v. ἑβδομευομένου.
4) v. δεκατεύειν, cf. quoque v. ἑβδομευόμενα.

que fieri solitum esse die septimo; ille praeterea affert locum ex oratione Lysiae adv. Eteoclem, *εἰ γνησία*. Sed eorumdem exstant quoque alia testimonia [1]), loco vero alieno. Uterque scil., nisi mavis Harpocration, a quo Suidas sua sumsit, in orat. c. Theocrinem [2]) legerat, sicuti etiam nunc legitur: *μικρὸν δὲ διαλιπόντας τοῖς αὐτοῖς τούτοις ἐνδεκάζοντας καὶ τῶν αὐτῶν ἱερῶν κοινωνοῦντας*. Vera lectio, etsi turpissime depravata servata est a codice parisino non ita magnae auctoritatis (cui numerus est 2936), ubi pro *ἐνδεκάζοντας* legitur *συνενδεκατίζοντας*, unde eruendum est *συνδεκατεύοντας*, i. e. una decimum diem celebrantes. Praepositionem *σύν* eam vim habere, qua *ἐν* careat, non est quod moneam, neque utramque saepissime confusam esse. Quid *δεκάζειν* sit ipse Harpocration docet [3]), scil. iudices *κατὰ δεκάδας* corrumpere, quae significatio nostro loco non convenit, nam sermo est de sacrorum communione. Quod si Harpocrationis testimonium [4]) verum est Lysiam vel omnino auctorem orationis c. Eteoclem usum esse vocabulo *ἑβδομεύεσθαι*, quid impedit quominus noster usurpaverit eodem modo formatum *συνδεκατεύειν*, quod Schneidarum [5]) quoque maluisse video? Unum addere utile videtur: quae lexicographi de hoc instituto tradiderunt pleraque manaverunt ex schol. ad Arist. Aves [6]):

> *ἐς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς ὑπέπινον ἐν ἄστει*
> *κἄρτι καθεῦδον.*

Tandem vero veniamus ad ipsum *ἀποκηρύξεως* institutum, quod, cum iam dudum tractare instituerimus propter Demo-

---

1) v. *ἐνδεκάζοντες*.
2) [Demosth.] p. 1335, § 40.
3) v. *Ἀγοραῖος*; cf. Aesch. c. Tim. p. 12, § 86.
4) v. *ἑβδομευομένου*
5) lex v. *ἐνδεκάζω*
6) vs. 494; cf. eiusdem fabulae vs. 922 sq.

> *σὺ δ' ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ,*
> *καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην;*

et Hesychius v. *δεκάτῃ* (l. *δεκάτην*) *θύομεν.*

sthenis locum, qui illud spectare videbatur, revera non spectabat, aliquamdiu omisimus.

Hac in re tria genera testimoniorum exstant, lexicographorum philosophi sophistae; ad unum omnes fontes sunt, unde perraro iuris attici disciplinae aliquid frugi redundat. Omnes deinceps inspiciamus.

Hesychius [1]): ἀποκήρυκτος vocatur is, qui propter vitia domo paterna eiectus est.

Suidas [2]): ἐκποίητον γενέσθαι· ἀποκηρυχθῆναι τοῦ γένους· nonnulli dicunt discrimen esse inter ἐκποίητον et ἀποκήρυκτον; hunc enim ut poenas det foras eici, illum a patre suo in aliam domum dari in adoptionem.

Moeris [3]). ἀποκήρυκτον, attice; ἀπόῤῥητον, hellenice, nusquam apud veteres occurrit.

Hesychius [4]): ἀποκηρυχθέντα, ἀποβληθέντα.

Suidas [5]): ἀπόῤῥησιν. Indicat quoque liberorum ἀποκήρυξιν.

Idem [6]): ἀποῤῥηθῇ pro ἀποκηρυχθῇ usus est Plato.

Lex. seguer. [7]): ἀποκήρυκτος is qui propter vitia paterna domo eiectus est; ἐκποίητος vero qui alteri in adoptionem datus est.

Idem [8]) · ἐκποίητον γενέσθαι· ἀποκηρυχθῆναι ἐκ τοῦ γένους. Deinde eadem quae Suidas loco supra laudato [2]).

Ammonius [9]) idem tradit, quod etiam Eranius Philo [10]); Pollux [11]) denique refert vocabulum ἀποκήρυκτον nusquam ἐν χρήσει

1) v. ἀποκήρυκτος.

2) v. ἐκποίητον γενέσθαι. Alio loco (v. ἀποκήρυκτον) fere nihil affert, quod ad rem nostram faciat.

3) v. ἀποκήρυκτος.

4) ἀποκηρυχθέντα

5) v. ἀπόρρησις.

6) v. ἀποῤῥηθέν. Locus Platonis est de legg. XI, p 929 A.

7) Bekk. A. Gr. p. 215.

8) ibid. p. 247.

9) v. ἀποκήρυκτος καὶ ἐκποίητος διαφέρει.

10) pone Ammonii editionem valckenarianam p. 156.

11) IV, 93.

τῇ παλαιᾷ occurrere praeterquam apud Theopompum, sed, pergit, *οὐδὲν Θεοπόμπῳ σταθμητὸν εἰς ἑρμηνείας κρίσιν.*

Lexicographorum cumulavi testimonia, opus taedii plenum, quae indicant admodum iis notum fuisse iuris attici institutum, quo parentibus licuit liberis omnem generis communionem interdicere. Alii videntur confudisse *ἀποκηρυχθέντας* et *ἐκποιηθέντας*; alii certant sitne atticum vocabulum *ἀποκήρυκτος* necne. Ipsum vero vocabulum *ἀποκήρυξις* nonnisi apud recentiores occurrit [1]). Omnia tamen ostendunt quam exilia sint quae de abdicatione novimus

Verbum ipsum *ἀποκηρύττειν* significat a l i q u i d p e r p r a e c o n e m p r o m u l g a r e; Plutarchus [2]) e. g. narrat Ariphronem voluisse *ἀποκηρύττειν* Alcibiadem, Periclem vero vetuisse dicentem eum, si mortuus esset, per praeconium (*διὰ τὸ κήρυγμα*) uno die prius appariturum fore; sin vero salvus esset, reliquam vitam ei non vitalem fore. Huic loco a b d i c a n d i significationem abdico, nam e Periclis monito apparet Ariphroni in animo fuisse per praeconem promulgare Alcibiadem domo aufugisse, eique qui profugam aut vivum aut mortuum sibi indicaret praemium promittere; »Ne facias," Pericles eum hortatur, »si enim iam interierit, uno tantum die prius noveris; si autem vivit, reliqua vita eius plane perdita erit, nam prae sui ipsius facinoris et tuae promulgationis pudore in omne genus flagitiorum ruet." Video quoque Meierum [3]) hunc Plutarchi locum ita accepisse et gaudeo eum attulisse gravissimum argumentum, quod impedit quominus de abdicatione cogitari possit: tutori scil. non licebat *ἀποκηρῦξαι.*

Eadem p e r p r a e c o n e m p r o m u l g a n d i significatio hic illic occurrit [4]); hinc sequitur eidem verbo inesse sententiam

---

1) e. g. Plut. Them. c. 2.
2) Alcib. c. 3; pro ἄωρον legendum esse ἄβιωτον iam notum est.
3) Meier et Schoemann, der att. proc. p. 432.
4) e. g. Xen. Hell. V, 2, 27. Demosth. adv. Boeot. l. l.

publice vendendi per praeconem, qua de re non dubitatur [1]).

Quidquid igitur per praeconem promulgatur ἀποκηρύττεσθαι dicitur; nihil refert situs decretum publicum an res privata. Igitur censendum est liberorum abdicationem, si Attici noverint, potius propter formam quam propter rem ipsam ἀποκήρυξιν dictam fuisse; res enim ipsa potius ἀπόῤῥησις dicta fuisset. Pater enim filio generis communionam ἀπαγορεύει, quod deinde, ut omnes sciant, per praeconem promulgat, ἀποκηρύττει. Ἀπαγορεύειν hac significatione iam apud veteres occurrit, veluti apud Herodotum [2]), qui narrat Chilonem Hippocrati, Pisistrati patri, suasisse »uxorem non ducere et si ei natus esset filius hunc ἀπείπασθαι," ut vitaret calamitatem sibi ex prodigio imminentem. Eodem modo usus est Euripides [3]):

εἰ δ' ἀπειπεῖν χρῆν με κηρύκων ὕπο
τὴν σὴν πατρῴαν ἑστίαν, ἀπεῖπον ἄν.

Pluribus exemplis parco [4]), et locum Platonis [5]) afferre festino, quo ductus clarissimus van Assen, ut vidimus, censuit philosophum in republica, quam ipse informaret ita praecepisse de abdicationis forma, ut emendare voluisse videretur quae in hoc instituto vitia deprehendisset. Plato autem haec: »dissensiones patrum cum liberis suis oriuntur et liberorum cum patribus maiores quam par est, in quibus patres fortasse existimabunt legislatorem oportere sancire, ut liceat ipsis quando voluerint filium coram omnibus per praeconem abdicare (ὑπὸ κήρυκος

1) e. g. Demosth. c. Aristocr. p. 887, § 201, Herod. I, 194, Luc. vitt. auct. 6; sic ἐκκηρύττειν, Demosth. d. f. l. p. 447, § 331; Ammon. v. κηρῦξαι· ἐκήρυξεν αὐτὴν ἀγαγών, οἷον ὑπὸ κήρυκι ἐπώλησε, ubi Valckenarius laudat Stobaei locum (p. 260 G., XLIV, 22 init.), εἰ μὲν οὖν ὑπὸ κήρυκας κελεύσαι πωλεῖν καὶ προκηρύττειν ἐκ πλειόνων ἡμερῶν.

2) I, 59.

3) Alc. v. 737.

4) Si lubet est, inspiciatur Xen. Anab. VII, 1 sub finem, ubi usurpatur de strategiae abdicatione, Plut. Lucull., 38 de divortio.

5) de legg. XI, 9, p. 928 D, cf. supra p. 125, n. 1.

ἀπειπεῖν) ut secundum legem amplius non sit filius, filii contra, ut ipsis liceat parentes morbis vel senectute confectos quasi desipientes in iudicium vocare. Haec autem in hominum omnino pessimorum moribus exsistere solent; nam si dimidium eorum malum est, velut si pater non est malus sed filius, vel contra, non oriuntur calamitates a tanta proficiscentes inimicitia. Et in alia quidem civitate filius abdicatus non necessario civitatem amittet, in hac vero in qua hae leges erunt in aliam regionem patre carens eiciatur necesse est; ad domus enim quadraginta et quinquies mille nulla potest accedere; quocirca oportet eum qui iure hoc passurus sit non a patre uno sed genere abdicari (δεῖ ἀποῤῥηθῆναι). Faciendum vero est hac in re secundum hanc fere legem: quicunque iracundia inflammatur haudquaquam felice, sive iure sive iniuria, ut quemcunque genuerit et educaverit hunc cupiat a cognatione sua exterminare, huic non ita simpliciter neque illico licebit id facere, sed primum convocato cognatos suos usque ad patrueles et similiter filii cognatos maternos et coram his eum accusato, dicens eum dignum esse qui ab omnibus genere abdicetur (ἐκκεκηρῦχθαι) [1], atque filio quoque facultatem dato ad dicendum se non meruisse ut tale quid pateretur; et si pater persuaserit illis et adstipulatores nactus fuerit ex omnibus cognatis plures quam dimidium eorum, calculum ferentibus praeter patrem et matrem et causam dicentem filium reliquis omnibus qui adulti sint, sive mulieres sive viri, ita et hac ratione licebit patri filium abdicare (ἀποκηρύττειν), aliter nequaquam. Abdicatum (τὸν ἀποκηρυχθέντα) si quis civium filium adoptare voluerit, nulla lex prohibeto eum adoptare; iuvenum enim mores multas in vita mutationes quandoque solent subire; abdicatum (ἀποκηρυχθέντα) vero si intra decem annos nemo adoptare voluerit, curatores eorum qui post heredes legitimos nati in coloniam mittendi sint his quoque rite prospiciunto ut in coloniae partem veniant."

1) eadem significatione edicto per praeconem publicato expellendi ἐκκηρύττειν occurrit apud Aeschb. c. Ctes. p. 90, § 258, Soph. O. C. 430, Herod. III, 148

Totum locum descripsi, non ut atticam legem proponere viderer, sed ut appareret philosophi institutum nobis multo melius cognitum esse quam verum iuris attici institutum, et ut simul caverem ne quis temere ex philosophi lege vellet efficere quo modo Athenis abdicatio locum habuerit. Quae denique Lucianus in Abdicato refert iuris instituta de abdicatione hic in censum venire nequeunt; sunt enim mera sophistae figmenta nulla lege nitentia.

Unum tantum ex Atheniensium historia notum est abdicationis exemplum Themistoclis, quod tamen a Plutarcho [1]) iam refellitur. Cornelium Nepotem [2]) si audimus, a patre exheredatus est, quod tamen, vel praetermissa controversia de abdicationis fama sitne omnino vera annon, minus accurate dictum est, nam exheredatio tantum post patris obitum locum habere potest, abdicatio autem fit patre vivo [3]).

Omnia quae exstant testimonia de abdicatione cum contrahimus, fateamur necesse est huius instituti scientiam fere nullam esse, atque ita quidem ut ne statuere quidem possimus num illud ius revera exstiterit. Si vero exstitit, quod propter magnam testimoniorum copiam et Platonis ea de re institutum verisimile videtur, rogari potest cur apud veteres ipsos nusquam exemplum abdicationis occurrat; respondere placet Isaei verbis [4]): »omnes animam agitantes sedulo cavent hoc, ut domus suae desolatae ne fiant, sed ut sit qui manibus suis inferias inferat et reliqua iusta faciat; quapropter, si qui improles ipsi sint, tamen filios sibi per adoptionem arrogatos heredes relinquunt; neque privatim modo ita decernunt, sed ipsa quoque respublica idem ratum sanctumque voluit esse; lege enim mandavit respublica archonti, ut provideat ne quae domus desolatae fiant."

---

1) Themist. c. 2, Themistoclem a patre abdicatum esse (ἀποκηρυχθῆναι) tradunt Valerius Max. VI, 9, ext. 2 et Aelian. II, 12

2) in vita, c. 1

3) cf. p. 125, n. 1.

4) de Apoll. her. p. 68, § 30.

Qui tantam suarum familiarum curam gerebant non facile usi fuisse videntur iure filii abdicandi; qui denique a legibus filios caterus filiabus praeferri videbant, ut his tantum dos daretur, cum illi in omnes patris facultates succederent, horum animos adversatos fuisse puto eiusmodi instituto; quam ob causam ne miremur nullum abdicationis exemplum occurrere [1]) neque emancipationis, quae exstiteritne apud Athenienses necne ne conicere quidem possumus.

Ut totum hoc institutum fere ignotum est, sic quoque nihil liquet de actionibus quae inde nasci potuerint; omni necessitudinis vinculo diffracto omnia officia et iura parentum et liberorum inter sese valere desiisse apparet.

Cum abdicatione aliquatenus comparari potest ius revocandae adoptionis, de quo supra iam egimus [2]).

Quod ad iura parentum in liberorum bona nihil nos docent veteres, praeterquam filiis qui sui iuris nondum erant per testamentum non licitum fuisse heredem scribere, quamvis pater mortuus esset; hunc scilicet ius erat heredis scribendi, quod ratum erat, si filius priusquam in suam pervenisset tutelam diem supremum obiisset [3]).

Denique patri ius erat tutores liberis suis nominandi, si moreretur antequam hi sui iuris facti essent, et filias aut inter vivos aut per testamentum despondendi; harum vero rerum exempla afferre nunc supersedeo, cum illa tutelae institutum spectet, de quo nunc mihi non agendum est, haec vero nuptias, de quibus iam alio loco dixi [4]).

De actionibus quae ex patria potestate originem ducunt pau-

---

1) Gans (erbrecht I, p. 323): »dahin gehört das recht des verstossens (ἀποκήρυξις) aus dem hause welches sich in vielen zeugnissen findet." Testimonia vero bene distinguenda sunt ab exemplis.

2) p. 38, n. 1.

3) cf. p. 38, n. 1.

4) lib. I, 1, 2.

cis egit Meier [1]); affirmat vir doctissimus patri ius fuisse actionis instituendae contra eum qui se nescio cum filio contraxisset; sed vereor ut haec probari possint exemplo ab eo allato. Xanthippus enim Periclis filius de quo sermo est uxorem iam duxerat, quod aetatem eam videtur indicare qua iam sui iuris esset. Pericli igitur ex patria potestate nullum fuit ius eius accusandi a quo filius mutuam sumserat pecuniam, sed ex Plutarchi verbis [2]): ἐκείνου δ' ὕστερον ἀπαιτοῦντος, ὁ μὲν Περικλῆς καὶ δίκην αὐτῷ προσέλαχε nihil amplius efficiendum puto nisi Periclem filii amicum propterea accusasse quod pecuniam reposceret ab eo qui numquam mutuam sumsisset. Praeterea bene animadvertendum est Xanthippum pecuniam illam rogasse et accepisse ὡς τοῦ Περικλέους κελεύσαντος.

C. Quaeritur quis sit terminus patriae potestatis.

Iam videamus quibus modis Athenis patria potestas terminata fuerit; in primis, ut mox in singulis videbimus, observandum est nonnumquam patria potestate finita patri tamen aliquid iuris in liberos remansisse.

Causam primariam ex rerum natura secutam, mortem scil. aut patris aut liberorum, locis testimoniisve allatis demonstrare non placet. Cum vero pater obit antequam liberi sunt sui iuris, ei ius est tutorem unum [3]) sive plures [4]) scribendi; et praeterea, donec liberi in suam tutelam perveniunt, in suas facultates ius habet, nam, ut supra [5]) vidimus, patris defuncti testamentum quo in liberorum suorum locum alios

1) Meier et Schoemann, der att. proc p 434.
2) Pericl. c. 36, cf. i. p S. W. Tromp in dissertatione de Pericle eiusque rei publicae Atheniensium administr., L. B. 1837, p 61.
3) Lys c. Diogit p 894, § 6.
4) Demosth. c. Aphob. I, p. 814, § 4 sq.
5) p 66, n 1 sq et p 134, n. 3.

heredes scripsit ratum est, cum filii ante pubertatem decesserunt. Tunc Isaei fraudem iam ostendi in oratione de Cleonymi hereditate; nunc eiusdem oratoris alter locus [1]) diligentius inspiciatur, sed primum auctore Dobreeo emendetur. Enarrat autem orator Aristarchum morientem liberós quatuor reliquisse duos filios totidemque filias; harum vero alteram teneris annis mortuam alterumque filium Cyronidem in aliam domum adoptatum esse; superstitem igitur tantum fuisse Democharem filium alterum, quem in patris bona succedere oportebat, et alteram filiam, actoris matrem; Democharem obiisse antequam sui iuris esset factus; igitur matrem actoris *ἐπίκληρον* relictam esse. Cyronidis tamen filius Aristarchus II per fas atque nefas, ut saltem causae patrono videtur, in Aristarchi I domum adoptatus est.

Hanc autem adoptionem summa iniuria factam esse hisce demonstrat: »vos omnes scire arbitror introductionem (in phratriae demique tabulas) filiorum testamento institutorum fieri, si qui testamento heredes instituerint filiosque eos sibi adoptaverint; nam aliter non licet. Si igitur dicet aliquis Aristarchum (I) de bonis suis per testamentum constituisse, affirmabit is veritati repugnantia; nam erat Aristarcho filius natus Demochares, adeo ut Aristarchus, etiamsi voluisset, non potuisset alii cuipiam bona sua legare; sin autem Aristarcho (I) defuncto a Demochare aiat aliquis eum (Aristarchum II) in locum filii adoptatum esse, etiam hoc mentietur; puero enim negatum est de bonis suis constituere, lex enim vetat disertis verbis edicens: puero non licet cum quoquam contrahere neque mulieri ultra singulos medimnos frumenti. Atqui testes vobis confirmarunt [2]) Aristarchum (I) ante Democharem rebus humanis excessisse et hunc post patrem [3])" In his omnia bene proce-

---

1) de Arist. her. p. 60, § 0, cf. p. 07, n. 1

2) scil. § 7.

3) *μεμαρτύρηται δ' Ἀρίσταρχον μὲν πρότερον Δημοχάρους τοῦ υἱέος τελευτῆσαι, ἐκεῖνον δ' ὕστερον τοῦ πατρός.* Etsi non assentior argumentis

dunt: patri, donec filius superstes erat, non licebat sua alii relinquere, neque filio, quoad sui iuris non erat, testamentum facere; sed miranda esset Isaei negligentia, qui urgeret iam recitatum esse testimonium quo ostendebatur **Aristarchum (I) ante Democharem mortuum esse et Democharem post Aristarchum (I)**, nisi antea longe alia dixisset; Demochares scil. **ante pubertatem** mortuus est. Ut locus se nunc habet, non potest quin turpem et prope anilem loquacitatem fastidiamus oratoris qui verba nobis effundat, maximum vero argumentum negligat. Hoc acutissimus Dobree secsit et post vocabula *ὕστερον δὲ τοῦ πατρός* addidit *ἔτι παῖδ' ὄντα*, quae abesse non possunt et addita Isaeo vigorem suum reddunt.

Locum autem ita emendatum inspicientes videmus oratorem more suo suae servientem causae unam tantum legem de adoptione laudare; supra [1]) iam animadvertimus eum hoc loco aliam omittere, qua tamen in sequentibus utatur. Quid magnopere miramur eum h. l. de industria neglexisse eam legem quam ex orat. c. Stephanum [2]) novimus? nam ultro adversario argumentum offerre noluit, quo hic demonstraret se rectissime ab Aristarcho I adoptatum esse, cum Demochares ante pubertatem obierit, illius igitur testamentum ratum factum sit.

Spero fore ut nemo hunc Isaei locum tanti faciat, ut censeat iuris attici institutum de substitutione quae dicitur testamentaria eo everti.

Mortem quae dicitur civilem causam matrimonii sol-

---

viri doctissimi D. Burger in censura meae commentationis de legg. att. quae pertinent ad parentum liberorumque iura (tijdschr. v. d. ned. gymn. 1864, p. 135 sq.) inter *ἐκεῖνον δ'* et *ὕστερον* addentis *ὀλίγῳ* aut tale quid, tamen non possum quin eius acumen laudem. Grato animo hic illic usus viri doctissimi observationibus h. l. censebam Isaei argumenti vim in eo ipso esse positum quod Demochares *ἔτι παῖς ὤν* mortuus esset, quod propterea omitti non potest. Non tamen adversor praeterea *ὀλίγῳ* aut tale quid excidere potuisse.

1) p. 87, n. 1.

2) [Demosth.] II, p. 1136, § 24.

vendi fuisse *constat*[1]); hinc necessario sequitur eam quoque *patriae potestati terminum statuisse.*

Cum liberi tabulis lexiarchicis inscripti essent, iura patris in eos valere desierunt[2]). At propterea non omnia officia filii erga patrem finita erant; quae cum a filio negligerentur patri κακώσεως actione contra filium agere licebat. Haec vero κακώσεως actio cum ad ius publicum pertineat et mihi nunc tantum iuris privati instituta tractanda sint, extra fines huius disquisitionis iacet; praeterea eam ab Iano Pan[3]) et Meiero[4]) satis ample tractatam video.

Iam antea[5]) inquisivi quatenus maritus uxoris suae κύριος esset. *Filiae autem cum nubebant saltem aliqua ex parte ex* κυρίου *manu in mariti manum transibant*: si pater igitur matrimonii tempore etiam vivebat, hoc ipsum patriae potestatis terminus erat. Post mariti mortem redibant in manum eius qui ex lege κύριος erat, semper enim erant in aliena potestate.

Adoptione filius ex patris naturalis potestate excedebat; sed si nondum inscriptus esset tabulis lexiarchicis transibat in manum adoptantis, aut adoptione per testamentum facta vel in iure apud archontem in eius manum qui adoptantis locum sustinebat, numquam vero in naturalis patris manum redibat, ut ex oratione adv. Macartatum[6]) discimus, ubi filius Eubulidis adoptatus Macartatum de Hagniae hereditate in iudicium citavisse dicitur et diem dixisse apud archontem *auctore scripto fratre suo*; »mihi autem," pergit orator, naturalis pater pueri, »*non amplius licebat au-*

———

3) cf supra p. 49, n. 1.
2) p 114, n 3.
3) dissert. de grati animi officiis cett p 25 sqq
4) Meier et Schoemann, der att. proc. p. 267—293.
5) p. 38, n 3 sqq
6) [Demosth.] p. 1054, § 15.

ctorem fieri, qui puerum in Eubulidis domum adoptandum dedissem."

Loco clarius hinc, opinor, id quod volui demonstratur.

Denique abdicationem et emancipationem, si exstiterint, terminum posuisse patriae potestati non est quod moneam.

2.

DE LIBERORUM ERGA PARENTAS OFFICIIS ET IURIBUS.

Auctor orationis adversus Eubulidem [1]) narrat Athenienses in archontum probatione inquisisse utrum qui designati essent officiis erga parentes suos perfuncti essent necne, atque Aeschines [2]) legem da oratorum exploratione ita se habuisse dicit: »si quis publice verba facere velit, qui patrem aut matrem verberat aut non alit aut iis domum non praebet hunc concionari non sinit."

Loco notissimo commentariorum de Socrete Xenophon [3]) Socratem cum filio colloquentem inducit de malo huius erga matrem animo, qui enim iamiam publica quoque ignominia affecturus esset, »an noscis," pater inquit, »civitatem ingrati quidem in alios animi rationem habere nullam neque propterea actionem dare, sed non curare si quis beneficiis affectus gratiam referat nullam; at si quis parentes non colat, eum poena multare reiectumque magistratus obire non pati, qood res sacrae

1) [Demosth.] p 1320, § 70.

2) c. Tim. p 4, § 28, in oratoris vocabulis laudandis secutus sum nescio cuius emendationem vocabulo οὐκ ἐᾷ δημηγορεῖν cum levi mutatione post οἰκησιν transponentis; quo enim loco nunc leguntur: τίνας δ' οὐκ ᾤετο δεῖν λέγειν, τοὺς αἰσχρῶς βεβιωκότας· τούτους οὐκ ἐᾷ δημηγορεῖν· καὶ ποῦ τοῦτο δηλοῖ, δοκιμασία, φησί, ῥητόρων κτέ nullo modo explicari possunt. Quae mox leguntur τοῦτον οὐκ ἐᾷ λέγειν in textum irrepserunt, postquam genuina τοῦτον οὐκ ἐᾷ δημηγορεῖν locum mutarunt.

3) II, 2, 13

pro republica religiose fieri nequeant hoc homine sacrificante nec quidquam aliud ab eo perfici recte iusteque possit?" Eadem quoque Pollux [1]) affirmat: δοκιμασία δὲ τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγέλλετο καὶ τοῖς κληρωτοῖς καὶ τοῖς αἱρετοῖς, εἴτ' ἐπιτήδειοί εἰσιν ἄρχειν εἴτε καὶ μή, καὶ τοῖς δημαγωγοῖς, εἰ ἡταιρηκότες εἰσὶν ἢ τὰ πατρῷα κατεδηδοκότες ἢ τοὺς γονέας κεκακωκότες ἢ ἄλλως κακῶς βεβιωκότες.

Hanc atticae iurisprudentiae partem luculentissime illustravit Ianus Pan [2]), cuius liber vel post dimidiam saeculi partem et quod superest dignissimus est qui ab omnibus huius scientiae studiosis cognoscatur neque tamen mihi hoc labore supersedere licebat, ne rem mihi propositam deserere viderer.

Parentibus obedire eos bene habere pie colere primarium liberorum officium habebatur, quod tamen legibus accuratius definiebatur. Sed primum de vocabulo ipso. In antiquo Graecorum sermone verbum exstat, quod quid velim indicat Medea enim ita suos alloquitur liberos [3]):

ἦ μήν ποθ' ἡ δύστηνος εἶχον ἐλπίδας
πολλὰς ἐν ὑμῖν γηροβοσκήσειν τ' ἐμὲ
καὶ κατθανοῦσαν χερσὶν εὖ περιστελεῖν,
ζηλωτὸν ἀνθρώποισι.

Quibuscum utile est conferre eiusdem poëtae aliud affatum [4]):

τοίγαρ φυτεύων παῖδας οὐκ ἔτ' ἂν φθάνοις,
οἳ γηροβοσκήσουσι καὶ θανόντα σε
περιστελοῦσι καὶ προθήσονται νεκρόν.

Hyperides [5]) usus est vocabulo γηροβοσκός. Serioris aetatis est verbum γηροκομεῖν, quamquam nomen γηροκόμος iam apud

1) VIII, 44 sq.

2) dissertatio de grati animi afficiis atque ingratorum poena iure attico et romano; Lugd. Bat. 1809, P. I, c 1; cf. thesis IV viri clariss. van Assen (n. bijdr. voor regtsg. en wetg. 1856, V, p. 262, n. 4) iure attico non data fuit parentibus in liberos actio ingrati animi (δίκη ἀχαριστίας).

3) in cognomine Euripidis fabula vs. 1032 sqq

4) Alc. 682 sqq cff Suidas et Hesychius v. γηροβοσκῶ.

5) Polluce teste II, 14

Hesiodum [1]) occurrit, unde simul apparet formam γηρωκομεῖον, quam Bernhardy Suidae obtrusit vitiosam esse.

Huic γηροβοσκεῖν plano aequipollet γηροτροφεῖν ab Atticis in primis usitatum [2]). Omnia vero idem significant, id scilicet quod Homerus [3]) factum esse negat ab Anthemionis filio ab Aiace in ipso inventutis flore occiso; is enim

οὐδὲ τοκεῦσιν
θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκεν.

Haec θρέπτρα attice τροφεῖα dicuntur saepiusque ab oratoribus commemorantur, sed semper figurata sententia; amant enim patriam cum parentibus comparare, quibus senio confectis si liberi necessaria non praebent turpissima se polluunt macula; sic etiam is, »qui, cum vir est, patriae suae gratus non fuerit pro educationis beneficiis" [4]) extremo supplicio dignus est.

Haec praemisimus, ut aliqua ex parte indicaremus quam penitus Atheniensium animis insitum fuerit illud officium parentibus necessaria praebendi, si in senectute iis egerent. Nunc vero iuris institutum accuratius inspiciamus.

Isaeus etiam hac in re nobis viam monstret. »quodsi," inquit [5]), »forte Polyarchus pater Cleonymi avus noster adhuc viveret et necessariis ad victum careret, aut si Cleonymus obiisset relictis filiabus pauperibus, nobis profecto propter propinquitatem tum avum senem alere (τὸν πάππον γηροτροφεῖν) necesse foret tum Cleonymi filias aut in matrimonium recipere aut dotatas aliis collocare." Ut igitur ἀγχιστεία iura dabat, sic etiam officia imponebat; victus scil. praebendus erat paren-

---

1) Theog. 605. χήτει γηροκόμοιο.

2) Is. de Cleon. her. § 38, Lys. c. Agor. p. 133, § 45, Demosth. c. Timocr. p. 763, § 203, Plat. Menex. p. 248 D.

3) Il. δ, 478.

4) Lyc. c. Leocr. p. 164, § 93; cf. [Lys.] Epitaph. p. 197, § 70: ἐτελεύτησαν δὲ τὸν βίον, ὥσπερ χρὴ τοὺς ἀγαθοὺς ἀποθνῄσκειν, τῇ μὲν πατρίδι τὰ τροφεῖα ἀποδόντες κτέ. Vide quoque lectu dignissimam Valckenarii adnotationem ad Eurip. Phoen. vs. 44 sq.

5) de Cleon. her. § 39.

tibus, si iis carerent, iisque unde hi originem ducebant; quod alio loco quoque demonstrat idem orator [1]) »verum non modo ex hac sola lege, sed etiam ex illa quae de liberis parentes male habentibus est hoc fit planum. Avus enim si adhuc superstes esset et necessitatum vitae egens viveret, non hic ex hoc titulo accusari posset, sed nos possemus. sancit enim lex parentes liberis alendos esse, sunt autem parentes pater et mater et avus cum avia et horum item pater atque mater, si adhuc supersunt hi enim sunt principium stirpis et eorum bona liberis atque nepotibus per leges tribuuntur; hac de causa necessario quoque illis incumbit cura eos alendi, etiamsi prorsus nihil relinquant. Qui igitur aequum sit, parentes si neglexerimus alere a quibus facultatum nihil ad nos pervenerit, ideo nos animi erga parentes ingrati reos fieri, sin autem bona reliquerint, illorum bonorum heredem hunc esse, nos vero excludi? Nequaquam."

Qui id officium parentibus negat κακώσεως crimine tenetur; quae autem hinc consequebantur nunc non enarrabo, et de actione ipsa iam alibi dixi [2]). Tali viro oratorum loci ostendunt foro et anggesto abstinendum esse [3]), et Demosthenes [4]) eum aeque ac patriae proditorem culpandum censet.

Demosthenem [5]) si audimus, Solon huius legis auctor est [6]).

Victum et domum parentibus praebendi officio proximum est alterum, quo liberi iubebantur parentes sepelire et parentare. Hac quoque in re Aeschines [7]) nobis sit auctor, qui, postquam enarravit quando liberis prioris officii vacatio detur, dicit alterum nulla umquam re tolli; filium scil. a patre prostitutum lex vetuit alere patrem aut domicilio excipere; de-

1) de Cir. her. p. 72, 32.
2) cf. p. 133, n. 3 et 4. Vid. Lys. c. Agorat. p. 133, § 21.
3) e. g. Dem. c. Timocr. p. 732, § 103, Aesch. c. Tim. p. 4, § 26.
4) c. Timocr. p. 719, § 60, cf. quoque p. 735, § 107.
5) c. Timocr. p. 733, § 106.
6) cf. Diog. Laërt. Sol. § 55 et Ael. V. H. IX, 1.
7) c. Timocr. p. 3, § 13 sq.

functum tamen sepelire iubet ac cetera parentalia obire, ut moris est; »atque recte," orator pergit, »viventi ei eripit fructum liberorum procreationis, quemadmodum ipsi puero dicendi libertatem: defunctum tamen, cum is quidem qui beneficium accipit non iam sentit commodum quo afficitur, legi vero et numini honos habetur, sepelire iubet et cetera de more praestare." Haec satis ostendunt hoc quoque officium legibus circumscriptum fuisse at Socrates [1]) filium Lamproclem quoque docet in archontum probatione inquiri solere num designati parentibus defunctis parentalia praestiterint. Lycurgus [2]) Leocrati id officium turpissime neglectum obiicit, atque alius orator [3]) enumerans quot exspectationibus parentes exciderint liberorum interitu addit eos etiam frustra sperasse se post sustentatam a liberis suis senectutem ab iisdem mortuos sepultum iri.

Ipso illo sepeliendi et parentandi officio saepius adoptati functi dicuntur. Cleonymus metuens ut sibi defuncto ab inimicissimo viro Dinia, tutore eorum quos heredes relicturus esset, τὰ νομιζόμενα fierent, testamento hos exheredavit aliosque scripsit heredes [4]). Propterea omnes qui liberis orbi morituri sunt circumspiciunt quomodo sibi sit ὁ ἐναγιῶν καὶ πάντα τὰ νομιζόμενα αὐτοῖς ποιήσων [5]).

At paternorum bonorum et iurum non tantum heres erat filius, sed etiam infamiae, ut luce clarius multorum testimoniis patet [6]). In oratione adversus Boeotum de nomine [7]) orator enarrat molestias quae sibi inde orituræ sint quod Boeotus se Mantitheum dicat; »si condemnatus," inquit, »iste mulctam aerario debuerit et tempore interlapso mulcta omnino soluta non fuerit, qui magis istius liberi quam mei de-

1) Xen. C. S. II, 2, 13, cf. Dem. c. Timocr. p. 732, § 107.
2) c. Leocr. p. 167, § 138, p. 169, § 147.
3) Lys. c. Agor. p. 133, § 45.
4) Is. de Cleon. her. § 10.
5) de Apoll. her, p. 66, § 30; cf. de Astyph. her. p. 78, § 32.
6) Dem. c. Androt. p. 603, § 34.
7) Demosth. p. 998, § 15.

bitores erunt, cum nomen et pater et tribus denique omnia eadem futura sint."

Iis qui patre capitis damnato nati erant concionandi iure interdictum erat[1]), ut creditur, sed deplorandum est hac de re nullum certius testimonium inveniri quam serioris rhetoris, qui orationes contra Aristogitonem conflavit.

Cornelius Nepos[2]) tradit Cimonem, cum pater Miltiades in vinculis publicis decessisset quod litem aestimatam populo solvere non posset, eadem custodia retentum esse neque legibus Atheniensium emitti potuisse nisi pecuniam qua pater multatus esset solvisset; haec fuit causa propter quam, ut supra[3]) vidimus, Athenienses cum suam infamiam in suos liberos transire nollent, eos aliam in domum adoptandos curarent.

Filius pro patre defuncto iusiurandum praestare debebat, si quis defunctum accusans eum filio herede ageret, ut ex duobus oratorum locis apparet; altero[4]) haec leguntur: »me pro patre ei iusiurandum praestare voluisse quemadmodum lex iubet, si quis mortuum accusans eum herede agat, huius rei vobis testimonium cum lege recitabitur." Altero autem loco[5]) orator dicit se velle iurare Timotheum mentiri negantem se pecuniam quam a patre mutuam sumsisset adhuc debere; pater scilicet moriturus accurate descripserat quae sibi deberentur ab unoquoque debitorum; »ego autem," pergit orator, »id iureiurando Timotheo confirmare volui;" atque mox: »nobis a patre relictum esse Timotheum debitorem pecuniae de qua contra eum ago et quae mihi obvenit, frater mihi testatus est et Phormio, qui pecuniam ei dedit, atque ego hoc iureiurando confirmare volui."

Itaque eiusmodi iureiurando res ipsa non iudicatur, sed filius

1) [Demosth.] c. Aristog. I, p. 779, § 30
2) vita Cimonis, c. 1
3) p. 82, n. 1
4) [Demosth.] c. Call. p 1241, § 17 sqq.
5) [Demosth.] adv. Timoth. p. 1196, § 42 sqq.

patris vice fungitur; quod hic iuraturus fuisset, si etiam tum inter vivos esset, filius iurat, quo allatis argumentis via addatur.

Liberari tamen poterant filii officio victus parentibus praebendi, cuius rei tres ab antiquis enumerantur causae; harum unam Vitruvio et Plutarcho auctoribus iam attulimus [1]: Athenienses scil. sanxerant eos tantum potuisse cogi parentes alere, qui ipsi a parentibus artibus eruditi essent. Plutarchus [2] etiam ex Heraclide Pontico narrat Solonem instituisse eos qui concubina nati essent non necessario patri victum debuisse praebere; huius vero instituti in antiquitate nullum superest vestigium, nam quod Casaubono [3] ansam dedit hac de re disputandi, cum sibi legis atticae testimonium deprehendere videretur, id nostro tempore evanuit, cum in Theophrasti loco pro τὴν μητέρα μὴ τρέφειν, quae vocabula quam maxime corrupta pessimam interpretationem elicere debebant, nescio quis optime emendaverit μητραγυρτεῖν, quod magis convenit reliquia vecordis moribus.

Tertiam exceptionem ex Aeschinis Timarchea [4] iam attulimus, si scil. liberi a patre ad turpem quaestum elocati fuissent.

Officiis liberorum erga parentes pertractatis breviter dicendum videtur de iuribus quae liberi in parentes habebant, ea vero tantum enumerabo, cum aut hic alieno loco tractarentur aut alibi a me iam sint tractata. Illis accensendum est ius quod liberis erat succedendi in omnia quae parentum fuissent; quod magis pertinet ad ius hereditarium. Quae vero continuo sequuntur iam alio loco expendi.

Filiis ex filia hereditaria natis, cum sui iuris facti essent, ius erat in avi hereditatem succe-

1) p. 121, n. 6 et 7.
2) Sol. c. 22.
3) ad Theophr. Char. VI, 2
4) p. 3, § 13; cf. supra p. 122, n. 3 et p. 142, n. 7.

dendi ea condicione si matri necessaria praeberent ad victum [1]).

Iisdem cum sui iuris facti essent praeterea ius erat matris despondendae [2]).

Patre mortuo filii matris dotis domini fiabant, cum mater in defuncti domo remaneret; filii vero permittere debebant matrem participem esse suorum [3]).

Matre mortua filiis sui iuris factis obveniebat matris dos [4]).

Gravissima superest res quae quamquam saepius disputata nondum ab omni parte enucleata est, *παρανοίας* scil. actio qua filius contra patrem agere potuerit. Veterum testimonia hac de re ita sunt comparata, ut dubitare nequeamus, quin revera exstiterit, agunt enim, quasi sit res notissima, at res tamen ipsa iacet in tenebris.

Aristophanes [5]) filium patris insaniam indigne ferentem ita loquentem inducit:

οἴμοι, τί δράσω παραφρονοῦντος τοῦ πατρός;
πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω,
ἢ τοῖς σοροπηγοῖς τὴν μανίαν αὐτοῦ φράσω.

Socratem qui accusabant perhibebant philosophum iuniores incitasse ut parentes suos ignominiose haberent, docentem [6]) *ἐξεῖναι παρανοίας ἑλόντι τὸν πατέρα δῆσαι*

Aeschines [7]) eiusdem rei memoriam servavit dicens: »populus autem ob ea quae acciderunt animo fractus, quasi senio

1) p. 47, n. 3.
2) p 7, n. 1.
3) p. 57, n. 1.
4) p. 60, n. 1.
5) Nubb v. 844 sqq., ineptissimum scholium ad hunc locum Suidas servavit: *πρὸς τὸν πατέρα δικάσομαι καὶ δείξας αὐτὸν μαινόμενον οὕτω τὴν μανίαν παύσω.*
6) Xen. C. S 1, 2, 49
7) c. Ctes. p. 60, § 251.

confectus et deliri condemnatus sit (παρανοίας ἑαλωκώς), nomen solum dominationis popularis retinet, res ipsas aliis concessit."

Haec sunt antiquiorum testimonia, quibus addi potest satis nota fabula de Sophocle quasi desipiente a filiis in ius vocato, quae quamvis falsa sit tamen demonstrat non plane abhorrere eiusmodi accusationem ab Atheniensium moribus [1]).

In sua civitate Plato eiusdemmodi actionem instituit [2]), sed a philosopho ne discere cupiamus iuris attici instituta. Aliquot praeterea lexicographorum testimonia exstant, quae tamen ne id quidem demonstrant fueritne actio privata an publica; sed cum non faciant ad nostrum consilium [3]), libenter ea omitto.

Neque decerni potest liceritne filio in universum accusare patrem. Plato [4]) Euthyphronem inducit patrem caedis accusantem, sed nescimus utrum id iuri attico conveniat an fingatur a philosopho ut occasionem nanciscatur disputandi de iis, quae deo placeant et quae hominibus facienda sint ut pietatis fama floreant.

Feminae quae apud Athenienses longe alia ratione habebantur ac viri existimandae sunt horum officiorum expertes fuisse, sicuti iuribus carebant; finem igitur faciam in Herodoti vocabulis, qui enarrans Aegyptios plerumque uti legibus e diametro oppositis ceterarum gentium institutis haec de eodem argumento exponit [5]): τρέφειν τοὺς τοκέας τοῖσι μὲν παισὶ οὐδεμία ἀνάγκη μὴ βουλομένοισι, τῇσι δὲ θυγατράσι πᾶσα ἀνάγκη καὶ μὴ βουλομένῃσι.

1) cff Schneidewin in ed. Sophocl. weidmanniana, 1860, einl p. 17, Halbertsma, spec lit. cont. priorem partem prosop. aristoph., p. 12 et 101. Ille narratiunculam, cuius originem clare exponit, omnino falsam esse demonstrat.

2) de legg. XI, 928 E sqq., cf. supra p. 131, n 5

3) Meier und Schoem., der att. proc. p. 296, Platner, d. proc. II, p. 242.

4) Euthyphr. p 4 A

5) II, 36

LIBER TERTIUS.

DE TUTELA.

I.

DE IIS QUI SUNT IN TUTELA. DE TUTORIBUS.

1.

DE TUTELA IN UNIVERSUM.

Cum uniuscuiusque ex antiquitate populi leges et instituta quam maxime ex iis literarum reliquiis indaganda sint, quae in vita communi et publica et privata versantur, oratorum et comicorum opera dico, fieri non potest quin gravissime doleamus quod ex tanto orationum et comoediarum numero quae tutelam spectabant tam paucae tulerint aetatem.

Oratores autem id ipsum agunt ut iuris instituta proponant et explicent auditoribus, nec iuris attici, ut aiunt, corpore omnino deficiente alius fons ullus est, unde aptius cognoscamus quae leges valuerint apud Athenienses. In comoedia vero nobis res popularium ita exponuntur, ut in eas tamquam in speculum inspiciamus; nec erit qui non lubenter Horatio assentiatur,

qui scenici poëtae munus tam lucide quam vere hisce versibus describit [1]:

> qui didicit
> quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
> partes ad bellum missi ducis, illa profecto
> reddere personae scit convenientia cuique.
> Respicere exemplum vitae morumque iubebo
> doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.

Quae si, ut opinor, vera sunt, omnibus tamen persuasum erit multo magis in comoedia quam in tragoedia vitae exemplum respiciendum esse.

Quod ad orationes de tutela, ut possit iudicari de ingenti damno quod hae litterae passae sint, tantum commemorabo minimum octo enumerari a Lysia habitas, quarum unius tantum fragmentum a Dionysio Halicarnasensi servatum est [2]; Isaei [3], Antiphontis [4], Hyperidis [5] binarum orationum memoria

---

1) A. P. vs. 312 sqq.

2) Verus locis commemorantur e Dionysio lexicographis aliis; sunt autem hae: πρὸς τοὺς ἐπιτρόπους τῶν Βοώνος παίδων, κατὰ Δημοσθένους ἐπιτροπῆς, πρὸς Διογένη ὑπὲρ μισθώσεως οἴκου, πρὸς Θεοπείθη ἐπιτροπῆς ἐπίλογος, πρὸς τοὺς Ἱπποκράτους παῖδας, πρὸς τὴν φάσιν τοῦ ὀρφανικοῦ οἴκου, ὑπὲρ Σατύρου ἐπιτροπῆς πρὸς Χαρίδημον, κατὰ Φιλίππου ἐπιτροπῆς, et cuius longius fragmentum Dionysio debemus κατὰ Διογείτονος. Callimachus orat. adv. Charidemum Dinarcho tribuit, alii vero inter veteres Lysiae, καίτοι καὶ τὸν χρόνον ἔχοντες αὐτοῖς διαμαχόμενον καὶ τὸν τύπον ἅπαντα τῆς ἐργασίας καὶ τὰ πράγματα καὶ τὴν ἑρμηνείαν (Photius Bibl. Cod. 265, p. 491, b, 29). Callimachus vero eodem loco dicitur οὐχ ἱκανὸς ὢν κρίνειν, dum οἱ πρὸς τὴν κρίσιν ἔχοντες τὸ ἀσφαλὲς Demosthenis esse dicunt. Sauppe (in Epist. Crit. ad G. Hermannum p. 49) suspicatur orationem ob id ipsum periisse, quod Callimachus eam non posuerat in demosthenicis. Cum vero oratio plane deperdita sit, difficile est quidquam certi statuere; Lysiae esse non potest propter tempus, neque Dinarchi, nam D. H. (ind. de Dinarcho sub finem) eandem inter λόγους ἰδιωτικοὺς ψευδεπιγράφους recensens habitam esse dicit anno archontis Nicomachi (ol. CIX, 4), quo tempore Lysias iam diu mortuus erat, Dinarchus vero nondum orationes conscribebat. Praeterea commemorantur Lysiae ἐπιτροπικοί et ὀρφανικοὶ λόγοι.

3) πρὸς Διοφάνη ἐπιτροπῆς ἀπολογία et πρὸς Καλυδῶνα ἐπιτροπῆς.

4) ἐπιτροπικὸς κατὰ Καλλιστράτου et ἐπιτροπικὸς Τιμοκράτει.

5) κατ' Ἀντίου ὀρφανικός et πρὸς Χάρητα ἐπιτροπικός.

servata est ab antiquis, Aristogitonis [1]) unius, harum vero nulli invida aetas pepercit. In sua ipsius causa Demosthenes quatuor eiusmodi orationes habuit [2]), quas omnes superstites esse gaudemus. In fabulis magis secunda nos usos fuisse fortuna vellem, at magis etiam adversa est; neque enim Alexidis Ἐπιτρόπου [3]) neque Diphili Ἐπιτροπῆς [4]) quidquam superest, quod in re nostra dignum sit, quod commemoretur.

Ex tanta copia cum fere nihil supersit praeter Demosthenis orationes, his maxime adiuti hanc iuris attici partem illustrare conabimur. Ordiemur autem, ut moris est, ab ipsius verbi quod hac in re pro fundamento habendum est explicatione.

Verbum ἐπιτρέπειν proprie indicat committere aliquid alterius curae vel arbitrio [5]) et frequentissimus eius usus est in foro attico, velut ἐπιτρέπειν δίαιταν, διαιτῆσαι, ἐπιτρέπειν διαιτητῇ, δικαστηρίῳ, rell. Inde is qui moribundus liberorum suorum curam alteri committit dicitur huic eos ἐπιτρέπειν. Ita saltem Harpocratione teste [6]) Lysias in oratione adversus tutores Boonis liberorum usus est locutione ἐπέτρεψεν ἀνδράσιν pro ἐπιτρόπους κατέστησεν. Cum vero haec vocabula tantum a lexicographo laudata sint, diiudicari nequit fueritne hoc loco revera sermo de tutorum institutione. Fieri enim potest oratorem usum esse isto vocabulo eadem significatione qua Demosthenes usus est, cum [7]), ut eiusdem lexicographi verbis utar [8]), in ora-

1) κατὰ Θρασύλλου ὀρφανικός.

2) Duae orat. contra Aphobum et duae adv. Onetorem. Praeterea extat oratio adv. Aphobum, quae Demosthenis esse non potest, cf. Schaefer, Dem. u. s. z. III, 2, 82 sqq.

3) Athen. X, p. 443 F.

4) Antiatt. B. A. Gr. p. 96: ἐξιδιάσασθαι, Δίφιλος Ἐπιτροπῇ, „sed is permirus est plerisque mellens fabulae titulus. Itaque aut Ἐπιτρόπῳ scribendum videtur aut Ἐπιτροπεῖ. Ἐπίτροπον scripsit etiam Alexis, Ἐπιτρέποντας Menander, quae vitiose scribitur Ἐπιτροπεύς apud Schol. Aristoph. Acharn. 1114.“ Meineke, hist. crit. com. gr. p. 454.

5) Demosth. c. Aphob. I, p. 830, § 55.

6) v. ἐπιτροπήν (l. ἐπιτρέπειν), cf. Suidas in v. ἐπιτρέπειν.

7) c. Aphob. I, p. 813, § 1.

8) Harpocr. l. l.

tione de tutela τοῖς οἰκείοις ἐπιτρέπειν diceret pro διαιτητὰς αἱρεῖσθαι τοὺς οἰκείους.

Hinc nascitur nomen ἐπιτροπή, in primis usurpatum de actione committendae rei alicuius curae vel arbitrio alterius [1]), tum etiam de tutela [2]). Tutoris munus, tutela gesta significata fuisse videtur vocabulo ἐπιτροπεία [3]).

Ἐπίτροπος is proprie dicitur cuius curae vel arbitrio aliquid est mandatum [4]), deinde pupillorum tutor [5]). Hinc ortum est verbum ἐπιτροπεύειν, tutorem esse, quod cum derivatorum copia permagna toties occurrit ut exemplis parcam [6]).

Denique probe tenendum est ἐπίτροπον nonnumquam κύριον dictum esse; quod tamen primaria significatione numquam factum videtur, occurrunt vero loci ubi tutor ita sit appellatus, cum in iure de pupilli persona sermo est [7]) aut de huius bonis [8]); deinde κύριος dicitur is in cuius manu femina est [9]).

---

1) [Demosth.] adv. Apat. p. 897, § 14 et saepius in hac orat.

2) Demosth. adv. Onet. I, p. 868, § 3, p. Phorm. p. 950, § 20, adv. Nausim. p. 980, § 17, Plat. de legg. XI, 924 B, 928 C.

3) Lys. fr. or. adv. Hippocr. filios, D. H. V, 588, 18. Nollem Bekkerus mutasset in ἐπιτροπήν, quamquam mox p. 600, 9 in Dem. ipsum id vocabulum occurrit fortasse vero librarii errore. Formam ἐπιτροπία reiicio quippe quae a verbo ἐπιτροπεύειν derivari nequeat. Cf. deinde Plat. Phaedr. 239 E, ubi libri habent formam ἐπιτροπεία, quae de legg. XI, 928 C prave abiit in ἐπιτροπία, D. H. arch. rom. IV, 33 (sed in forma vitiosa) et XI, 36.

4) Herod. III, 63, Xen. Cyr. IV, 2, 35, Arist. Eccl. 212, Demosth. c. Aphob. I, p. 818, § 13.

5) Praeterquam apud oratores etiam apud Herod. IX, 10, Thuc. II, 80 et apud alios.

6) Ne quis putet verbum ἐπιτροπεύειν idem posse significare quod ἐπιτρέπειν verbo moneo in Isaei or. de Dicaeog. her. p. 54, § 31 iam Reiskium (in Ind.) locutionem δίαιταν ἐπιτροπεύειν notasse; quantocius cum Cobeto V. L. p. 232 restituatur ἐπιτρέπειν, ut Scheibe edidit.

7) Aesch. c. Tim. p. 3, § 18, [Demosth.] adv. Macart. p. 1054, § 15.

8) Demosth. pro Phorm. p. 951, § 22, Is. de Cleon. her. p. 36, § 10, cf. i. p. Schoemann ad h. l.

9) Is. de Dicaeog. her. p. 51, § 10, de Philoct. her. p. 59, § 32.

2

DE IIS QUI SUNT IN TUTELA.

Qui patre orbatus needum sui iuris est cura et tutela aliena indiget; cum enim et puero et feminae potestas negata sit contrahendi ultra hordei medimnum[1]), neque vero illud ius iis plane adimi possit, in aliena manu sint necesse, i. e. in manu eius qui eos tueatur et in iure eorum personam sustineat. Vix opus est dicere unumquemque et qui sui iuris est et qui non est reum fieri posse, velut Neaera ξενίας accusata est[2]), Aspasia[3]) autem et Phryne[4]) ἀσεβείας, puer ille Brauroniae donariorum aliquid suffuratus ἱεροσυλίας[5]), ἀκουσίου φόνου ille quem Antiphon[6]) in gymnasio sodalem suum interemisse ponit. Cum igitur omnino opus esset et privatorum causa et universae civitatis, ut ii qui patribus orbi sui iuris nondum essent et feminae omnes in aliena essent manu, instituta est tutela, qua usos esse apparet omnes[7]) qui tabulis lexiarchicis inscripti non fuerint, filios igitur usque ad hanc aetatem, filias vero per totam vitam. In feminis vero, ut mox videbimus, probe distinguendum est inter tutelam quae dicitur sexus et tutelam imperfectae aetatis

Fuerintne ii qui propter animi imbecillitatem aliamve causam res suas ipsi gerere non possent in aliena manu diiudicari nequit. Probabile tamen videtur. Vidimus[8]) furiosum neque

1) Is. de Arist. her. p. 80, § 10, cf Harpocr., Suidas, Photius in v. ὅτι παιδὶ κτέ, et schol. ad Arist Eccl. 1025.
2) Apoll. c. Neaer [Demosth], p. 1345 sqq.
3) Plut. Pericl. c. 32
4) Athen XIII, 590 C.
5) Hyper. fr servatum a Poll IX, 74 Cf Ael. V. H. V, 16
6) in tetral. II
7) Is. de Cleon. her p 36, § 10 Lys. adv. Diogit. p. 894, § 5 sqq.
8) p 81, n 2

testamentum condere potuisse neque adoptare, quod apud Athenienses idem est; huic igitur interdictum fuisse videtur de suis facultatibus quidquam statuere. Quid autem consequeretur, cum pater insaniens a filio *παρανοίας* accusatus et iudicum sententia damnatus esset, prorsus nescitur nam ne satis quidem constat num eiusmodi actio exstiterit [1]).

Cavendum est autem ne ex Aeschinis verbis [2]) quae tunc attuli temere efficiamus senio confectum propter delirium condemnatum opes suas alteri concedere. Duas res comparasse videtur orator quae pares non sunt: populus enim animo fractus nomen solum dominationis retinere, rea ipsas vero alteri concessisse dici potest rectissime; at in eo qui propter animi imbecillitatem alterius cura indiget longe aliter rem se habuisse verisimile est; res ipsas scilicet hic retinet, administratio et cura vero alteri conceditur.

Idem orator alio loco [3]) exemplum dat administrationis; nam administrationem, non tutelam fuisse ex iis quae iamiam dicturus sum lucidissime apparebit. Arizelus Timarchi pater duos habebat fratres Eupolemum et Arignotum, quorum primus obiit Eupolemus nondum diviso patrimonio. Propter Arignoti morbum et oculorum calamitatem Arizelus omnes facultates tractabat Arignoto certam pecuniam pensitans, quam ei pro victu ordinarat. Ut autem Arizelus obiit, primis quidem temporibus, dum Timarchus puer erat, Arignoto ab huius tutoribus aequa omnia praestabantur; Timarchus vero opum suarum dominus factus homine sene et calamitoso eoque patruo suo repulso facultates ipse disperdidit suas neque Arignoto ad victum necessaria dedit et tantis opibus privatum ne passus est quidem nomen inter invalidos dare. Denique cum senex invalidorum

1) cf. supra p. 146, sq.

2) c. Ctes. p. 69, § 251: ὁ δὲ δῆμος ἐκ τῆς ἀθυμίας τῶν συμβεβηκότων ὥσπερ παραγεγηρακὼς ἢ παρανοίας ἑαλωκὼς αὐτὸ μόνον τοὔνομα τῆς δημοκρατίας περιποιεῖται, τῶν δ' ἔργων ἑτέροις παρακεχώρηκεν.

3) c. Tim. p. 14, § 102.

explorationi non interfuisset senatuique supplicasset ut munus acciperet, Timarchus cum et senator et πρόεδρος eo die esset, illi patrocinari noluit, sed amittere eum stipem quam prytanea invalidis solebant erogare passus est. Miseri viri, non deliri senis (nam mox ab Aeschine testis citatur Arignotus) rem familiarem administratam videmus primo a fratre, deinde ab iis quos hic tutores filii reliquit, denique ab ipso Timarcho. Hic vero hanc rem gerens turpissime egit. De tutela autem sermonem esse non posse unusquisque videt; nihil est nisi administratio. Si enim revera tutela fuisset legibus sancita, legislator eam non permisisset improbissimae Timarchi libidini, sed, ut in tutela fiebat, aut rationibus reddendis obnoxiam reddidisset aut perpetuae curae publicae mandavisset. In tutela talia fieri non poterant, qualia a Timarcho in patruum facta esse auctor est Aeschines.

At non tantum mortuo patre liberis tutore opus erat, sed ut iam vidimus [1]) mortem quae dicitur civilem et nuptiis et patriae potestati finem imponere, ita hoc quoque loco observandum est probabile videri patris cui potestas in liberos hoc modo adempta esset locum ab altero susceptum esse; cum vero omnia hac de morte instituta nobis plane sint ignota nec quidquam hac in re testimonio exemplove probari possit, lubenter hanc controversiam omittimus. Eodem modo censendum videtur de abdicatione, cuius instituti historiam vel adeo nescimus, ut ne condicio quidem abdicati definiri queat [2]).

De adoptatis non est quod dicam post ea quae iam commemorata sunt [3]), neque hoc loco quidquam profecturi videmur iterum dicentes de publica tutela eorum quorum patres in bello occubuerunt [4]).

Festinandum est ad alterius humani generis partis tutelam.

---

1) p. 49. n. 1 et p. 138, n. 1.
2) cfl. pp 129 et 130.
3) p. 95 sqq.
4) cf. p. 119, n. 1.

Mulieres omnes apud Athenienses cum per totam vitam in alienae fuerint manu [1]), marito quaerere licet condicio earum num semper eadem fuerit. At sunt diserta testimonia ἐπιτρόπου et κύριον mulieris differre, quod primum ostendere in animo est, tum breviter de vera imperfectae aetatis tutela videamus, denique de altera.

Demosthenis pater moriens reliquit quinque annorum filiolam, quem cum filio eorundem tutorum curae commisit [2]). Diodotus Diogitonem quoque filiae tutorem reliquit [3]). In Isaei oratione de Philoctamonis hereditate [4]) iterum occurrit femina ἐπιτροπευομένη. Sat exemplorum, quibus demonstratur ἐπίτροπον longe alium esse ac κύριον; nam quis feminae κύριος fuerit partim supra [5]) vidimus, partim mox quaeremus. Sed in exemplis laudatis nusquam κυρίου personam cum ἐπιτρόπου convenire persona unusquisque videt.

Vidimus filios tutela liberatos esse cum libro lexiarchico inscripti essent; prorsus vero nescitur quis aetatis annus huic feminarum tutelae finem imposuerit. Divinando tamen terminum invenire conemur inventumque comparemus cum oratorum testimoniis. Informemus nobis atticam familiam: cum pater moritur filiis cum filiabus relictis, hae sunt aut nuptae aut innuptae; si post patris mortem iam nuptae sunt eo tempore, quo fratres sui iuris fiunt, in manu mariti sint et maneant necesse est; sin vero hoc tempore nondum nuptae sunt, transeunt ex tutela in manum fratrum, quemadmodum nuptiis solutis revertuntur [6]). In oratione contra Diogitonem, cuius tantum fragmentum servatum est a Dionysio, cum maior natu filius Diodoti sui iuris fieret, filia iam nupserat ei qui orationem

1) cf. p. 152, n 1.
2) Demosth. c. Aphob. p. 814, § 4. Attende 1. p. p 815, in. δέκ' ἔτη ἡμᾶς ἐπιτροπεύσαντας
3) Lys. c. Diogit. p 896, § 5.
4) p. 57, § 13.
5) p 35, n 8 et p. 130, n. 5.
6) cf. p 10 sq.

habet [1]); tunc temporis igitur in tutela non amplius erat, sed credi potest per ἐγγύησιν uxor data fuisse a tutore Diogitone et in manum mariti transiisse. Diogiton autem etiam avus erat puellae, quo fit ut, donec eius frater sui iuris esset, ipse eius despondendae ius haberet. Unum tantum exemplum promam fratrum despondentium sororem: Archidice, Euthymachi Otrynensis filia, patre mortuo a tribus fratribus Midylide Archippo Archiado in matrimonium collocatur Leostrato Eleusinio [2]). Has igitur matrimonio tutela liberatas esse censeo, quod fieri solere diserte testatur Isaeus [3]): cum enim adversarii facinus finxissent impudentissimum et a veri specie maxime abhorrens, dicentes Callippen quandam Euctemoni, qui eius tutor erat, peperisse duos filios, orator demonstrat id fieri omnino non potuisse, cum Callippes pater ante duos et quinquaginta annos iam occubuisset et natu maior horum quos ab Euctemone ex illa procreatos perhibeant aetatis annum vigesimum nondum excesserit. Sunt igitur ab anno quo Callippes pater mortuus est usque ad annum quo filius natu maior natus est minimum triginta anni; »atqui," pergit orator, »Callippen aetatis annum trigesimum iam egressam adhuc in Euctemonis tutela fuisse nondum nuptam nondum matrem factam credi non potest, sed potius eam in manu mariti iam dudum ante fuisse, sive secundum leges desponsam sive a iudicibus proximo cognato adiudicatam." Non opus est oratori ab omni parte credere, sed hoc ex eius verbis elici potest matrimonium finem imponere tutelae, nam demonstrans Callippen iamdudum oportuisse nupsisse addit eam igitur id temporis non amplius in Euctemonis tutela esse potuisse. Legitimum annum quo feminae sub tutore esse desinebant constitutum fuisse nego, quia annus quo poterant nuptum dari puellae non magis de-

1) Lys. p. 893, § 3 coll. p. 888, § 8.
2) [Demosth.] adv. Leoch. p. 1083, § 9.
3) de Philoct. her. p. 57, § 13 sq.

finitum erat [1]) nec definiri poterat, cum aliae aliud pubertatis tempus haberent.

Sed redeundum est ad atticam familiam et paucis videamus quid fieri necesse fuerit, cum pater moreretur filia tantum una impubere relicta. Hanc tamquam ἐπίκληρον ex legibus quas supra tractavimus [2]) in iure sibi vindicabat proximus cognatus, si tutor ei post patris mortem datus esset, hic ipso puellae matrimonio tutela se abdicasse videtur, ita ut huius pubertas simul tutelae finem imponeret. Si plures essent relictae filiae, in omnibus idem fiebat. Sed haec omnia, licet verisimillima sint, probari non possunt.

Post finitam imperfectae aetatis tutelam omnes feminae in κυρίου manum transibant. Hoc loco uno in conspectu lubet repetere quis cuiusque feminae κύριος fuerit, quod variis locis iam indicavimus. Primi in censum veniunt pater frater avus [3]), tum maritus, sed si femina non est ἐπίκληρος tantum in iis rebus quae ipso matrimonii tempore locum habent [4]). Sin vero matrimonium solvitur, femina in prioris κυρίου manum revertitur, ut discimus exemplo filiae Neaerae pro qua dimissa a marito Phrastore dote non reddita Stephanus, qui eam desponderat, in iure egit ex lege de dote quae iubet: »si quis dimiserit uxorem, reddat dotem, sin minus novem obolos usuram pendat atque pro ea de victu ad Odeum agat ὁ κύριος [5])." Fratres neque avus eum superstites sunt, femina est ἐπίκληρος et proximus cognatus eius κύριος est [6]), donec filii ex ea nati sui iuris sunt facti, quo tempore hi matris huiusque facultatum κύριοι fiunt [7]).

Restat quaestio quisnam fuerit κύριος feminae quae vidua facta cum filiis in mariti aedibus remanserat nec reverterat in

1) p. 34, n. 2.
2) p. 13 sqq.
3) p. 6, n. 7.
4) p. 35, n. 4.
5) [Demosth.] c. Neaer. p. 1362, § 52; cf. Is. de Pyrrh. her. p. 36, § 8.
6) p. 47, n. 2.
7) ibid., n. 6.

κυρίου manum. Si quid video, filii eiusmodi matris *κύριοι* fiunt, nam sine dos his obvenit et igitur fere idem locum habuisse verisimile est atque in epicleris [1]). Sed essetne liberorum tutor, donec hi sui iuris essent, pro illis quoque matris *κύριος* diiudicari nequit.

Quamquam feminae apud Athenienses remotae erant ab omni contrahendi iure, occurrunt tamen hic illic veterum testimonia, quae contra facere videntur. Nihil autem probant loci ex comoedia, quorum exempli causa unum describam [2]):

τῷ γὰρ εἰκός, ὦ πόλις,
τὴν Ὑπερβόλου καθῆσθαι μητέρ' ἠμφιεσμένην
λευκὰ καὶ κόμας καθεῖσαν πλησίον τῆς Λαμάχου
καὶ δανείζειν χρήμαθ', ᾗ χρῆν, εἰ δανείσειέν τινι
καὶ τόκον πράττοιτο, διδόναι μηδέν' ἀνθρώπων τόκον,
ἀλλ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ τὰ χρήματ' εἰπόντας τοδί·
ἀξία γοῦν εἶ τόκου τεκοῦσα τοιοῦτον τόκον.

Qui eiusmodi loco uti vellet ad demonstrandum feminis Atticis contrahendi ius fuisse, hoc ipso probaret se atticae comoediae indolem minime perspectam habere. At oratorum exstant loci non aeque spernendi ut Aeschinis [3]), qui narrat Demosthenem, postquam patrimonium disperdidisset, per totum urbem circumisse, ut adolescentes divites venaretur, quorum matres patribus defunctis opes administrabant [4]). Unius deinde eiusmodi facinoris mentionem facit multa alia sdentio praeteriens: cum enim Demosthenes locupletem domum conspexisset, quae non recte gubernaretur, quippe cuius dux esset mulier [5]), superba illa quidem, sed minime cordata, adolescens autem patre orbus

1) p. 87, n. 1.
2) Arist. Thesm. 839 sqq.
3) c. Tim. p 24, § 170
4) ὧν οἱ μὲν πατέρες ἐτετελευτήκεσαν, αἱ δε μητέρες διῴκουν τὴν οὐσίαν In praecedentibus nullus dubito vocabulum ὀρφανούς post πλουσίους delere, ut scholium ad sequentia ὧν οἱ μὲν πατέρες ἐτετελευτήκεσαν.
5) ἧς ἡγεμὼν ἦν γυνή

vesanus opum administrator [1]), Aristarchus Moschi filius, huius se amatorem esse simulavit et ad eam amicitiam adolescentem invitatum vana spe inflavit pollicens eum brevi oratorum principem futurum. Tali labe Demosthenem afficit Aeschines; cur autem ita egerit planum fit, cum eum deinceps haec dicentem audimus: »talium autem Aristarcho operum auctor et magister factus est, ob quae ille patria exulat, hic vero tribus talentis exilii viatico eum spoliavit, Nicodemus autem Aphidnaeus violenta morte ab Aristarcho occubuit miser exsectis oculis ambobus et lingua praecisa, qua libere locutus fuerat legibus fretus et vobis. Et vos Athenienses Socratem sapientem illum occidistis, quod Critiam instituisset, unum triginta virorum, qui populum oppresserunt, precibus autem Demosthenis, qui ab hominibus indoctis et popularibus propter dicendi libertatem tantas poenas sumit, condonabitis alios?" Tenemus Aeschinis argumentationem. unus ex Demosthenis adversariis, Nicodemus, Eubuli et Midiae amicus e medio sublatus erat: iam Midias conatus erat Nicodemi necessariis persuadere ut Demosthenem huius atrocis caedis accusarent; quod cum ab his negatum esset, Aristarchus a Midia nominari coeptus est ut Nicodemi interfector [2]), hic vero fuga salutem petiit. Res cum ita sese haberet, Aeschines non dubitat Aristarchum dicere Nicodemi interfectorem, sed quo Demosthenem per Aristarchum pungeret, Demosthenem amicum praeceptorem Aristarchi appellat, turpissimi igitur facinoris auctorem; cui insimulationi tamquam fastigium imponit bellam istam comparationem Demosthenis Aristarchi praeceptoris cum Socrate, quem videlicet propterea ab Atheniensibus capitis damnatum dicit, quod Critiam instituisset. Cum oratorem tam ridicula proferre non pudet, diligenter videndum est quanti cetera quae narret sint habenda. Nostro loco sermo est de Aristarcho iuvene quem Demosthenes vana

1) διεφθαρκὼς τὴν οὐσίαν.

2) Demosth. c. Mid. p. 548, § 104 sq. coll. loco Aeschinis or. c. Tim.

spe pellexit, ut se traderet ipsi ὡς αὐτίκα δὴ μάλα τῶν ῥητόρων πρωτεύσοντα. Qui sui iuris non est, is nondum potest δημηγορεῖν. Iis tantum qui inscripti sunt tabulis lexiarchicis interesse comitiis licet. Aristarchus igitur videtur id aetatis fuisse, quo spes oratoriae gloriae non admodum remota fuerit, neque tutores ab Aeschine commemorantur, sed ipse Aristarchus τὴν οὐσίαν διαχειρίζει. Mater vero eius ἡγεμὼν τῆς οἰκίας dicitur, id est domina domus. Neglegenter vero in praecedentibus orator dixerat αἱ δὲ μητέρες διῴκουν τὴν οὐσίαν. Hoc enim ius numquam penes matrem fuisse notum est, praesertim cum filius ipse διαχειρίζων τὴν οὐσίαν iam sui iuris esset. Iure igitur hanc Aristarchi matrem omittere licet, cum sermo est de feminis, quae res ipsae suas gerunt; praesertim cum oratorem sibi ipsi obloquentem habeamus prius dicentem αἱ δὲ μητέρες διῴκουν τὴν οὐσίαν et deinde νεανίσκος δ' ὀρφανὸς ἡμιμανὴς διεχείριζε τὴν οὐσίαν.

Cum de adoptione agebamus[1]), diximus de duabus feminis, quae videbantur consensum dare ut filii adoptarentur, sed demonstravimus neutrum exemplum quidquam probare.

In comoedia nihili duximus feminas foenerantes; aliud quid est in oratione adversus Spudiam[2]), ubi idem occurrit. Polyeucti uxor genero suo Spudiae mille octingentas drachmas mutuas dedit, in cuius rei fidem conscripta erant γράμματα ἃ κατέλιπεν ἀποθνήσκουσ' ἐκείνη. Testes huius rei dicuntur mulieris fratres, qui omnibus rebus interfuerant. Cum autem verbo δανείζεσθαι insit significatio cum foenore mutuum sumendi[3]) et orator h. l. diserte dixerit ἦν μὲν γὰρ τἀργύριον παρὰ τῆς Πολυεύκτου δεδανεισμένος γυναικός, cogitandum

1) p. 93, n. 1 et 2.

2) Demosth. p. 1030, § 8 et p. 1034, § 21.

3) Huius verbi et aliquatenus oppositi αἰτεῖσθαι usus exemplum vide in [Demosth.] orat. adv. Timoth. p. 1190, § 22: πέμψας ὡς τὸν πατέρα τὸν ἐμὸν Αἰσχρίωνα τὸν ἀκόλουθον τὸν αὑτοῦ ἐκέλευσεν αἰτήσασθαι στρώματα καὶ ἱμάτια καὶ φιάλας ἀργυρᾶς δύο, καὶ μνᾶν ἀργυρίου δανείσασθαι.

est stipulationem revera quidem factam esse, sed breviloquentia usum esse oratorem, cum ea non a muliere ipsa, sed ab huius *κυρίῳ* facta esset. Pecunia tantum ex Polyeucti uxoris opibus (*παρὰ τῆς Πολυεύκτου γυναικός*) sumta est, ipsa vero *γράμματα* verisimiliter ab eo in cuius manu erat conscripta sunt.

Divortium facere cum uxor cuperet, iuris attici interpretes tradunt ipsi archontem adeundum fuisse eique tradendum scriptum, in quo expositum esset cur a marito divortium facere cuperet; itaque hi mulieri in iure agendi potestatem concedunt. At supra [1] testimonio ex Demosthenis oratione adversus Onetorem priore [2] iam satis hunc errorem refellisse mihi videor. Etiam in divortio per *ἐπιτρόπου* vel *κυρίου* agendum erat. Numquam quidquam sine *ἐπιτρόπου* vel *κυρίου* ope potuisse agere feminas satis superque demonstravimus et transeundum est ad ipsos tutores.

5.

DE TUTORIBUS.

Pupillorum curam penes archontem fuisse testantur et Aeschines et Demosthenis aequalis orator. Ille [3] enim loquitur de legibus, quae archontem iubent pupillorum curam gerere et in oratione adversus Lacritum [4] legimus epiclerorum parentum pupillorum curam archonti mandatam esse. Praeterea in orat. adversus Macartatum [5] legis formula exstat, quae tamen per se nihili facienda est.

Quatenus haec archontis cura patuerit in ipso tutelae initio,

1) p. 53, n. 2.
2) p. 869, § 17.
3) c. Tim. p. 23, § 156
4) [Demosth.] p. 940, § 48.
5) [Demosth.] p. 1076, § 76: ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν — καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν μηδένα περὶ τούτους.

id est in dandis tutoribus nunc tantum nostrum est inquirere, nam de reliqua archontis cura erga pupillos, cum tutores iam nominati essent, postea videndum erit. Hac in re vero antiqui nihil directo testimonio definiunt. Pollux [1]) tamen recensens munera archontis haece: ὁ δ' ἄρχων διατίθησι μὲν τὰ Διονύσια καὶ Θαργήλια μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται κακώσεως, παρανοίας, εἰς διαιτητῶν αἵρεσιν, ἐπιτροπῆς ὀρφανῶν, ἐπιτρόπων καταστάσεις, κλήρων καὶ ἐπικλήρων ἐπιδικασίαι. In his offendunt vocabula ἐπιτρόπων καταστάσεις. Haec enim dici non potest actio, quam ob causam Meier [2]) coniecit ea vocabula sedam mutavisse et legenda esse post μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν; sed nullus dubito an male dicatur ὁ ἄρχων διατίθησιν ἐπιτρόπων καταστάσεις pro ὁ ἄρχων καθίστησιν ἐπιτρόπους, quare aliud quaerendum videtur remedium, quod tum demum fieri poterit, cum inquisiverimus quaenam fuerit archontis cura in dandis tutoribus. Inspiciamus primo Isaei [3]) locum, ubi Antidorus et Androcles videntes Euctemonem prae senio ita prorsus enervatum ut ne lecto quidem resurgere possit, dicuntur meditari quomodo post eius obitum eius facultates in sua potestate futurae sint; quod ut efficiant, deferunt duorum puerorum nomina ad archontem ut adoptatorum a duabus Euctemonis filiis, semet ipsi horum tutores praedicantes [4]) et archonti mandant eorum opes velut orborum elocare. Orator demonstrare conatur adoptatos istos suppositicios nec multo meliores tutores ipsos esse; hoc vero nihil ad rem, nostrum enim tantum est videre quid ex hoc loco eum altero comparato sit eliciendum. Alter ille cinsdem oratoris est [5]), mortuo Nicostrato Aminiades quidam dicitur puerum nondum tres annos natum ad archontem adducere, quem puerum filium Nicostrati esse dicebat. Quo alio

1) VIII, 89
2) Meier und Schoem. der att. proc. p. 445.
3) de Philoct. her. p. 59, § 36.
4) ἐπιγράψαντες σφᾶς αὐτοὺς ἐπιτρόπους.
5) de Nicostr. her. p. 47, § 6.

consilio hoc fecerit quam ut illum puerum archontis curae mandaret non video. Igitur post mortem patris ad archontem nomina liberorum deferanda fuissa videntur, ut sciret quinam patribus orbi suaa curae mandati essent. Primaria autem cura erat tutores dare, si in testamento non scripti essent. Ex iure naturali autem consequi videtur primo loco tutores esse debere eos qui pupillo mortuo probabiliter in eius hereditatem successuri sint; ubi enim successionis emolumentum est, ibi tutelae onus esse debet. Atque revera exstant apud veteres complura vestigia tutelam in primis commissam fuisse proximis cognatis: Dicaeogenes tutor erat ἐγγυτάτω ὢν γένους [1]); in alia oratione Dinias quidam occurrit patruus pupillorum [2]). Alia exempla cognatorum, si non proximorum cognatorum, inveniuntur in Lysiae orationibus: Diogitonem [3]) frater Diodotus per testamentum scripserat tutorem suorum liberorum et Pantaleon [4]) quidam tutor fratrum natu minorum occurrit.

Etsi auctori argumenti orationis de Aristarchi hereditate [5]), si scilicet aeque stupet in iure atque in sermone attico [6]), nulla fides habenda esse videatur dicenti post mortem Aristarchi Aristomenem fratrem eius s e c u n d u m l e g e m tutorem eius liberorum factum esse, parvelim tamen ei credi posse, nam tum controversia dirimi possit et statui legem iussisse archontem

1) Is. de Dicaeog. her. p. 51, § 10.
2) de Cleon. her. p. 30, § 9.
3) Lys. c. Diogit. p. 894, § 5.
4) Id. c. Theomn. I, p. 116, § 5, qui tutor quam ob causam Platnero (der proc. II, p. 278) videtur non potuisse esse testamentarius non intelligo. Dicit autem patrem, cui essent liberi iam ipsi sui iuris, testamentum condere saepissime neglexisse. Sed si quis quid facere neglegit, is propterea dici non potest id facere non potuisse. Praeterea cogitari potest testamentum, quo pater non de opibus mandat, sed universe de iis quae post mortem suam facta velit, sic e. g. Demosthenis pater, cui erat filius, testamentum reliquit non de opibus, cuinam hae advenirent, si filius nondum sui iuris factus mortuus esset, sed de tutoribus et de dote uxoris et filiae.
5) Is. p. 79 init.
6) Argumento sunt locutiones κατὰ μητέρα πάππος et κατέλειψε.

proximum cognatum pupillorum tutorem debere dicere, quam sententiam etiam Schoemanno non displicere gaudeo; videtur saltem eiusdemmodi aliquid cogitasse cum scriberet [1]: »nam vel propter id ipsum, quod cognatis fore tutelae demandabantur, fieri saepenumero poterat ut eo ipso cognationis iure velut de hereditate capienda controversia exsistarat."

His exemplis igitur docti quinam in primis tutoris munere fungerentur ad Pollucem revertimur nec dubitandum quin eiecto vocabulo καταστάσεις legendum sit ἐπιτροπῶν pro ἐπιτρόπων, ita ut inter actiones quae ad archontem pertineant enumerentur ἐπιδικασίαι tutelarum et hereditatum et ἐπικλήρων. Causa propter quam vocabulum καταστάσεις Pollucis verbis insertum sit est in aprico: cum ἐπιτροπῶν in ἐπιτρόπων transiisset, non amplius intelligebatur quid sibi voluisset auctor et additum est vocabulum καταστάσεις unde penderet ἐπιτρόπων, cum potius accentus mutari debuisset.

Diogenes Laërtius [2]) auctor est Solonem vetuisse ne quis tutor ducat pupillorum matrem neve tutor sit is ad quem opes pupillorum, si forte moriantur, perventurae sint; qua de lege idem valere censeo, quod iam saepius dixi de pluribus quae a recentioribus Soloni tribuuntur. Praesto enim est satis magna copia tutorum qui aut sunt cognati pupillorum, ut in prioribus ostendi, aut matres eorum ducunt. Unum huius generis exemplum laudare satis duco. Theophrastus [3]), qui Euthycratis viduam duxit, tutor erat huius filii Astyphili eiusque sororis. Pluribus exemplis parco, quippe quae harum rerum vel parum peritis abundo nota sint.

A Xenophonte [4]) ὀρφανοφύλακες commemorantur, sed cum vix

1) ad Isaeum, p. 469.
2) I, 56.
3) Is. de Astyph. her. p. 77, § 27 et 30, cf supra p. 8, n. 1 et p. 65, n. 3.
4) περὶ πόρων, II, 7. καὶ εἰ μετοικοφύλακάς γε, ὥσπερ ὀρφανοφύλακας, ἀρχὴν καθισταῖμεν. Editorem nostratem J. C. van Deventer (Comm. ad Xen. libr. de vectig., Trai. ad Rh. 1851, p. 91) idem hoc de loco censuisse gaudeo.

credi possit inter probatos et aequales auctores nonnisi unum Xenophontem huius magistratus mentionem fecisse, si revera exstiterit, et praeter eum tantum Photius et post hunc Suidas [1], uterque fortasse describens scholiasten ad Sophoclis Aiacem [2], eiusmodi ὀρφανιστάς noverint, probabile videtur hunc locum tanti habendum esse quanti glossographorum testimonia haberi debeant, si nullum aliunde exstat argumentum quod nobis persuadeat eos veram docere doctrinam. Glossatori igitur tribuo vocabula ὥσπερ ὀρφανοφύλακας. Neque Plato [3]) in sua civitate eum magistratum novit; hic autem, ut Athenis legem esse sciebat qua pupillorum cura mandabatur archonti, quotannis tres ex nomophylacibus curam gerere iubet et tutelae ipsius et pupillorum. Ceterum, quod non urgeo, sed comparandi gratia tantum addo, tutores dici iubet proximos cognatos, δύο μὲν πρὸς πατρὸς, δύο δὲ πρὸς μητρός, si quis moribundus nihil de tutoribus constituisset. Quae vero de quinto tutore defuncti amico addit, haec eius ingenio deberi videntur; hac de re enim Athenis nihil lege statutum fuisse videtur. Prorsus enim nescitur quaenam fuerit regula de numero tutorum [4]); hic tamen lege definitus esse debuit, nam si definitus non esset, archon in tutorum ἐπιδικασίᾳ omni caruisset praecepto quot sibi tutores nominandi essent. In testamento autem saepius unus, ut Diogiton, saepius plures tutores scribebantur, quibus nonnumquam a moribundis pecuniae quaedam summa tribuebatur quo melius tutela fungerentur; »non enim fuit munus publicum tutela," van Assen rectissime censuit [5]), »quod cives nisi iustam habe-

1) uterque v. ὀρφανισταί.

2) ad vs 512.

3) de legg. XI, 924 B, c. 7.

4) cf. thesis viri clar. van Assen (n. bijdr. voor regtsgel. et wetg. 1855, p. 232, th. 5): »ut Romae, sic etiam Athenis nobiliores in civitate viri plures in testamento tutores dare solebant honoris (unde appellantur honorarii) et amicitiae causa, ne quem praeterisse viderentur." Vellem vir clar. addidisset huius effati argumenta.

5) l. l., thesis 7.

rent excusationis causam recipere cogerentur; neque iniurie existimaverunt Athenienses munus eiusmodi non sine animo et animi benevolentia recte posse geri. Atque haec sententia etiam Platoni placuisse videtur, cum praeciperet [1]) patrem scribere debere tutores in testamento ἑκόντας τε καὶ ὁμολογοῦντας."

Nihil prorsus novimus de iis quae postulata erant, ut aliquis tutor esse posset. Unum occurrit exemplum libertini in testamento tutoris scripti. Pasio scil. a Phormione datus est tutor Pasicli [2]). Nihil refert fueritne Phormio ipse civis natus an δημοποίητος; simulac enim civitate donatus est, Atheniensium legibus ei obtemperandum fuit. Ipse vero Pasio erat ex inquilinorum ordine; quamvis hic igitur recte gerere posset tutelam, tamen cum in iure pro pupillo agendum esset ipsi opus erat patrono.

Non opus esse mihi videtur de industria demonstrare feminas iure attico tutela fungi non potuisse.

Duo itaque iure attico fuisse videntur tutorum genera, alterum **in testamento scriptorum** [3]), alterum **ab archonte datorum** sive **legitimorum**, si saltem ea quae de tutelae ἐπιδικασίᾳ disputavimus vera sunt; ei tamen, qui in Pollucis loco ἐπιτρόπων καταστάσεις mutatum nolunt, alterum tutorum genus non agnoscere non poterunt [4]), nam alio modo explicari ea vocabula nequeunt.

---

1) de legg. l. l.

2) Demosth. p. Phorm. p. 946, § 8

3) e. g. Lys. fr. XXVI et XLV, § 1 (Bekk.), c. Diogit. p 894, § 5, Demosth. c. Aphob. I, p. 814, § 4 sqq., p. Phorm. p. 946, § 8, et in testamento Aristotelis, Diog. Laert. V, 12

4) cf. Schreder ad Inst. I, 20, Pr. (p. 117), altera quoque Schrederi adnotatio non spernenda invenitur ad Inst. I, 14, 4 (p. 102). "iure quoque attico usque ad tempus tutorem testamento potuisse dari, argumento est Aristotelis testamentum apud Diog. Laërt. V, 12" Nescio tamen an Aristotelis testamentum non secundum ius atticum confectum esse dici possit.

II.

DE INSTITUTIS AD TUTELAM PERTINENTIBUS.

Cum orbitas sit causa tutelae, opus est ut haec illi medeatur, itaque ut aliena tutela quam simillima sit paternae; haec autem duplex erat, nam pater et tuetur liberos suos et curat eorum opes. Lex igitur constituat necesse officia tutoris quae pertineant ad ipsorum pupillorum tutelam et ad eorum opum curam; denique caveat ne tutores sua abutantur potestate. Haec continuo nobis sunt exploranda.

1.

DE OFFICIIS TUTORUM QUAE PERTINENT AD IPSORUM PUPILLORUM TUTELAM.

Iam statim ab initio haec officia bifariam dividenda sunt, ex altera parte enim conspiciuntur officia quae pupilli educationem spectant, ex altera officium in iure pro pupillo agendi.

Pupilli autem e patrimonio suo educandi sunt et instituendi. Luculentissima huius rei testimonia apud antiquos reperiuntur. Demosthenis [1]) enim pater satis amplas reliquerat facultates; at quamvis tantum patrimonium relictum esset ut tutores, cum tertiae partis reditus essent quinquaginta minae, ex iis potuissent tum alere Demosthenis filium et filiam cum uxore, tam publica obire munera, propter insatiabilem cupiditatem horum tamen nihil fecerunt, et unus eorum [2]) Aphobus etiam adeo sor-

1) c. Aphob. I, p. 832, § 60.
2) l. l. p. 828, § 46.

dide avarus fuit ut vel praeceptores pupilli mereede fraudaverit.

Pretiosissimae Lysiae orationis contra Diogitonem fragmentum tantum nobis est servatum, sed nostrae rei quam maxime serviens. Diodotus[1]) fratris Diogitonis filiam duxerat et profecturus ad bellum testamentum conscripsit, in quo inter alia quae mandabat Diogitonem fratrem suum liberorum suorum avunculum et maternum avum tutorem horum scripsit, ratus ob hanc necessitudinem neminem magis oportere iustum erga suos liberos esse. Hanc vero spem Diogiton turpissime fefellit; occiso enim fratre amplissimo patrimonio relicto Diogiton primum filiam suam mariti mortem celavit, deinde nepotes omnibus fere privavit opibus et tandem maiorem natu, cum sui iuris factus esset, ad se vocavit eique dixit patrem eius nil reliquisse nisi viginti minas cum triginta stateribus aureis, quae pecuniae summa revera uxori relicta erat a Diodoto, cum hic proficisceretur, sed ab ea Diogitoni tradita cum mariti mortis certior facta esset[2]). De reliquis autem Diodoti facultatibus Diogiton tunc ne verbum quidem dixit. Ad se vocatum nepotem ita porro elloquitur Diogiton[3]): »ego multa ex meis opibus in vestrum alimentum impendi, et quamdiu quidem res mihi lauta fuit nil curavi. Iam vero ipse sum pauper et inops; tu igitur cum iam ad virilem aetatem perveneris et inter viros adscriptus sis, prospice qua ratione tibi victum compares.« Hisce auditis frater uterque perculsus et lacrimans ad matrem ierunt, quam interea iterum Hegemoni nuptum dederat Diogiton, et una cum hac venerunt ad sororis maritum qui orationem habet, hunc hortantes ne se bonis paternis frustratos et gravi a quo minime oportuit iniuria affectos deserat, sed sororis et sua causa defendat. Breviter ut rem enarrem, frustra cum hi omnes cum propinquis et amicis conati essent Diogitoni persuadere ut rem

1) Lys. c. Diog. p 892, § 1 sqq.
2) l. l. § 15.
3) l. l. § 9
4) l. l. § 20.

arbitris deferret, tandem causa ad iudices perlata est. In iudicio autem Diogiton ausus est proferre album, quo constaret ad duorum puerorum et unius puellae victum per octo annos impensa esse septem talenta cum quatuor millibus drachmarum, quam pecuniam se recepisse tandem fassus erat, quia τὰ γραμματεῖα hanc rem indicantia forte fortuna reperta essent [1]). Eo processit impudentiae deinde ut, cum ostendere non posset in quas res pecuniam istam impendisset, in victum duorum puerorum et unius puellae quinos in diem obolos impensos numeraret, in calceos vero, in fullones, in tonsores quae insumserit, ea nec per mensem nec per annum scripta erant, sed toto illo tempore simul complectendo ultra talentum argenti numeratum erat. Iam ad eorum patris monumentum, cum vix minas viginti quinque extulerit, ex quinque millibus drachmis dimidiam partem sibi adscripsit, dimidiam illis imputavit. Ad Dionysia quoque sedecim drachmis se agnum emisse [2]) dixit, quarum octo puerorum rationibus adscripsit. Videmus igitur tutorem omnia impensa in pupillorum gratiam facta, nostro loco vel plura quam oportebat, referre in rationes; pupillorum igitur opes ad eorum educationem et institutionem adhibebantur. Cum autem Diogiton pupillos nepotes suos tam male habuerit, adversarius aliam computandi rationem ingreditur [3]) et statuit, quantum nullus umquam in Atheniensium urbe, duobus filiis et uni puellae cum paedagogo et ancilla mille drachmas in singulos annos, quae efficiunt paullo minus tribus drachmis in singulos dies. Hinc per octo annos fiunt octo drachmarum millia, et ex septem talentis, si scil. ipso capite non eius annuis reditibus usi fuissent pupilli, sex supersunt talenta

1) l. l. § 14. In constituenda lectione τετρακισχιλίας δραχμάς secutus sum sententiam amicissimi viri van Herwerden, qui collatis §§ 14, 22, 28 probavit lectionem ἑπτακισχιλίας omnino non valere.

2) l. l. § 21. Pro ἐωνημένον mihi legendum videtur ἐωνημένος, quia Lysias amat hanc activi verbi constructionem post verbum ἀποδεικνύναι, coll.

3) l. l. § 26

et viginti minas ex quadraginta minis. Reliquam orationis partem temporis iniuria nobis abstulit, sed iis quae supersunt satis consultum est nostro consilio. Quod Lysias narrat de monumento a tutore Diogitone in Diodoti honorem confecto, Isaei [1]) locus confirmat tutores pupillorum nomine eorumque impensis defunctis inferias ferre solitos esse.

In superioribus [2]) iam satis copiose inquisivimus ubinam pupilli habitarent post patris mortem et vidimus eos plerumque in tutoris domum transiisse. Attamen rectissime potest coniici eos nonnumquam remansisse in patris aedibus, dum aliquis a tutore nominatus iis praeerat; certe remanebant in patris aedibus, cum mater cum dote in iis remaneret.

Necessaria ad victum si tutor non praebuisset pupillis, τὰς ὀφειλομένας τροφάς, σῖτον, ut iure attico dicitur [3]), quaeritur num σίτου δίκῃ accusari posset; exempla non exstant, neque nostrum est in hanc rem inquirere, cum potius ius actionum quam familiarum spectet [4]).

Iam ad alteram partem ipsius pupilli tutelae transeamus, in qua demonstrandum est tutori in iure pupilli personam esse sustinendam; quod brevissime facere possim testimonio Aeschinis laudando, sed cum plura huius instituti vestigia occurrant, rem paullo enucleatius proferam. Aeschines [5]) autem rogat quamnam legem cives sui sanxerint de contumelia, et sibi ipse respondet [6]): »eam quae uno capite quae sunt huius generis omnia complectitur. in qua plane scriptum est, si quis puero **contumeliam fecerit — — — aut aliquid legibus interdictum in hunc commiserit, in eum contumeliae actionem dedit lex poenamque definivit quid**

1) de Cleon. her. p. 86, § 10.
2) p. 64, n. 6.
3) cf. p. 47, n. 4.
4) cf. Meier und Schoemann, der att. proc. p. 426 sq.
5) c. Timarch. p. 3, § 14.
6) l. l. § 15.

is pati debeat aut solvere" Mox pergit [1]: »illud una mecum, Athenienses, memineritis velim, legislatorem hic nondum loqui cum puero, sed cum pueri necessariis: patre fratribus tutore magistris denique cum iis in quorum potestate est." Miramur Aeschinem inter pueri necessarios etiam eius magistros numerare, qua in re aperte fallit, sed lubenter ei ignoscimus, nam legum imperitissimos fuisse Athenienses exemplis multis constat; nisi fortasse, ut mihi fere persuadeo, illud διδασκάλοις in textum irrepserit ex mala seduli lectoris diligentia, qui, cum in praecedentibus tam multa de ludi magistris legisset, hoc loco eos omissos esse mirabatur et propterea in margine sui libri eorum mentionem faciebat. Si tamen magis attentus fuisset ad ea quae in prioribus legerat [2]: »si pater aut frater aut patruus aut tutor aut denique is in cuius manu est aliquem mercede prostituat cett.," hanc opinor adnotationem non adpinxisset.

Demosthenes [3]) docet Aristaechmum fuisse tutorem Nausimachi et Xenopithis, Nausicratis liberorum. Hi Aristaechmi iam diu mortui quatuor filios in ius vocant de defuncti patris tutela. Antea [4]) autem ipsum Aristaechmum accusaverant, sed ab actionibus destiterant pactamque pecuniam abstulerant. Brevi post autem Aristaechmus diem supremum obierat, Demaretum liberorum suorum tutorem relinquens. Lex autem erat Athenis: quibus de rebus aliquem quis missum fecerit et transegerit de iis litigare non licere. Hac lege Aristaechmi liberi nitebantur, exceptionem opponentes. Attamen fieri potuerat ut Nausicratis liberi post litis compositionem cum suo tutore iterum suspicionem erga hunc suscepissent; et hac de re huius heredes in ius vocandi erant, nam ipse mox mortuus erat. Sed cum

1) l. l. § 18.
2) l. l. p. 2, § 13. Formula legis quam exposui l. l. § 16 a scriba recitatur, sed ista nihil proficimus.
3) adv. Nausim. p. 987, § 0 sqq.
4) l. l. p. 985, § 3 sqq.

heredibus Aristaechmi, cum ipsi sui iuris non essent, in iure agi non poterat, quapropter eorum tutorem Demaretum a Nausimacho et Xenopithe in ius vocatum esse oportebat. At hi ipsi maximi Aristaechmi filiis testes erant neque hunc neque Demaretum quidquam mali in se perpetrasse: »unsquam enim eos viventi Demareto movisse litem apparebat."

T u t o r i i g i t u r i n i u r e a g e n d u m e r a t p r o p u p i l l o, quod in sua ipsius causa[1]) idem orator diserte demonstrat. Aphobus autem cum sociis per summam impudentiam Demosthenі viginti servos, quos pater ob quadraginta minas pignori oppositos habebat, ademerat. Quo facto commentum prorsus inauditum conflaverant, eum scilicet qui Demostheni patri sarvitia pignori dedisset, hominem nequissimum, aere alieno oppressum officia mutua plurima deseruisse, et harum rerum non paucos contra eum se testes citassa. Sed, pergit orator, servitia quia ille sit qui acceperit aut quomodo ex aedibus abierint aut quo abducta sint a u t c o n t r a q u e m v i c t i i n d i c i o e a a m i s e r i n t[2]) dicere nequeunt. His verbis satis indicat contra tutores litem moveri oportuisse ab iis qui servos istos, patri pignori oppositos, sibi adiudicandos petissent.

Postea videbimus in locationa pupilli patrimonii ei qui bona conduxisset pro pupillo in iure agendum fuisse in iis rebus quae patrimonium spectabant.

2.

DE OFFICIIS TUTORUM QUAE PERTINENT AD PUPILLORUM OPUM CURAM.

Isaeus[3]) docet p u p i l l i o p u m c u r a m f u i s s e p e n e s t u-

---

1) c. Aphob. I, p. 820, § 24.
2) ἢ πρὸς τίνα δίκην ἥττηνται περὶ αὐτῶν.
3) de Cleon. her. p. 38, § 9 sq.

tores. Cleonymus scilicet et Dinias odia et simultates inter se gerebant quam maximas, quapropter ille suos ἀδελφιδοῦς [1]), quorum tutor Dinias erat, exheredavit veritus ne, si ipse diem supremum obiisset priusquam illi sui iuris facti essent, opes suae in Diniae potestatem venirent [2]). Grave enim et acerbum sibi ducebat, si hominem sibi inimicissimum bonorum suorum relinqueret arbitrum, si is, a quo dum vivebat dissidebat, mortuo sibi inferias ferret, donec ἀδελφιδοῖ sui adolevissent [3]). Iam Timarchi exemplo idem institutum confirmatum vidimus [4]), et cum supra demonstraverim [5]) Theophrastum tutorem fuisse Astyphili eiusque sororis etiam huius exemplo novimus tutorem, qui pupilli praedium excoluit et effecit ut duplo pluris valeret [6]). Nec Demosthenes aliter: dicit [7]) enim Pasionem a Phormione tutorem datum esse Pasicli; huius facultates igitur in sua manu habebat Pasio tutor institutus [8]). Et alio loco [9]) loquitur de tutoribus, qui post pupillorum patris mortem omnia eorum bona in sua habebant potestate. In his omnibus videmus tutorem dici pupillorum opum κύριον [10]).

Demosthenis oratio utraque contra Aphobum uberrimus huius instituti fons est, nec possum quin ex iis unum locum qui egregie ad nostrum propositum facit excerpam. Tutores Demosthenis in symmoriam pro eo de vicenis quinis minis drachmas

1) Recte Schoemann (ad Isaeum p. 173) contra Ienesium statuit Cleonymum fuisse horum avunculum, non patruum. Fieri tamen potest eos fuisse Cleonymi sororis liberos.

2) δεδιὼς μὴ τελευτήσειεν αὐτὸς ἔτι παῖδας ἡμᾶς καταλιπὼν καὶ τῆς οὐσίας ἡμετέρας οὔσης γένοιτο κύριος Δεινίας.

3) cf quoque eiusdem orat. de Dicaeog. her. p. 51, § 10.

4) p. 133, n. 3

5) p. 65, n. 3

6) Isae. de Astyph. her. p. 77, § 28.

7) pro Phorm. p. 951, § 22.

8) οὗ τῶν ὄντων κύριος ἦν ἐπίτροπος καταλελειμμένος.

9) adv. Nausim. p. 986, § 8 οἳ μετὰ τὸν ἐκείνου (τοῦ πατρὸς) θάνατον τῶν ἡμετέρων ἐγένοντο κύριοι

10) cf p. 151, n. 7 sqq

quingentas censuerunt inferendas[1]); tutoribus igitur pro pupillis ex horum patrimonio tributa solvenda erant. Turpissime autem Demosthenis tutores eius opes gesserant et indignabundus hic exclamat[2]): »an vero non graviter ferendum est aliorum res familiares vel unius vel binorum talentorum relictas elocatione[3]) duplices factas esse et triplices, ut iam munera publica velint obire, meam vero triremem instruere et magna tributa pendere solitam propter istorum impudentiam ne minima quidem posse sustinere? quid tandem dici potest quod intentatum isti reliquerunt? qui testamentum sustulerunt, quasi fieri posset ut laterent, et suam ipsorum rem familiarem usuris administraverunt et sui patrimonii sortem de meo locupletaverunt, meae autem rei familiaris, tamquam summis a nobis affecti iniuriis, sortem totam sustulerunt." Rectissime queri poterat[4]) nullos umquam tutores vel impudentius vel manifestius rem pupillorum diripuisse videri quam istos sua.

Elocatione, διὰ τὸ μισθωθῆναι, Demosthenes dicit aliorum res familiares duplices aut triplices factas esse. Duplex enim Athenis modus erat curandi pupilli patrimonii: aut tutor ipse illud administrabat aut totum administrandum elocabat, quo fit ut haec bina nobis deinceps sint exploranda.

A. De pupilli patrimonio ab ipso tutore administrato.

Iam in antiquissima Graecorum poësi alicuius res familiaris οἶκος dicitur. Hector cum Troianos adhortatur fortiter pro pa-

1) c. Aphob. 1, p. 816, § 7, cl. II, p. 836, § 4, de ipso tributo cf. Boeckh, die staatsh. der Ath. 1, p. 667 sqq. Ceterquin hoc unicum erat tributum, quod pupillis solvendum erat, nam (Lys. c. Diogit. p. 906, § 24) et per omne tutelae tempus et annum post eam finitam omni liturgiarum genere immunes erant.

2) 1, p. 833, § 64.

3) δια το μισθωθῆναι.

4) p. 815, § 7.

tria pugnare nec mortem timere, his eorum animos incitat [1]):

ὃς δέ κεν ὑμῶν
βλήμενος ἠὲ τυπεὶς θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ,
τεθνάτω· οὔ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης
τεθνάμεν· ἀλλ' ἄλοχός τε σόη καὶ παῖδες ὀπίσσω
καὶ οἶκος καὶ κλῆρος ἀκήρατος.

Telemachus procorum cupiditatem Athenae enarrans [2]).

ὅσσοι, inquit, κραναὴν Ἰθάκην κάτα κοιρανέουσιν,
τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται, τρύχουσι δὲ οἶκον.
ἡ δ' οὔτ' ἀρνεῖται στυγερὸν γάμον οὔτε τελευτὴν
ποιῆσαι δύναται· τοὶ δὲ φθινύθουσιν ἔδοντες
οἶκον ἐμόν.

Ita saepius ille [3]).

Ea significatio deinde in usu esse numquam desiit. Oratores promiscue utuntur vocabulis οἶκος et οὐσία [4]), et Ammonius [5]) discrimen hoc inter οἶκον et οἰκίαν esse dicit: οἶκος μὲν λέγεται ἡ πᾶσα οὐσία· οἰκία δ' ἡ ὑφ' ἑνὸς ἢ ὑπὸ δευτέρου κατοικουμένη, quae tamen ita intelligenda sunt, ut οἶκος possit significare τὴν πᾶσαν οὐσίαν, οἰκία vero numquam.

Lysias [6]) docet tutoribus licere secundum leges quae latae sunt de pupillis tam tutorum magis tenuia ingenii causa quam ingeniosissimorum, aut rem pupilli elocantes multis molestiis se liberare aut fundum ementes pueros ex annuis redditibus alere. Hoc autem cum facerent omnia quae pupillis relicta erant mancipia vasa aedes cett. in numeratam pecuniam redigenda erant, tum praedia rustica emenda, quorum admi-

---

1) Il. ο, 494 sqq.
2) Od. α, 247 sqq.
3) velut Od. β, 64, ϑ, 318, π, 431, ξ, 233, τ, 161.
4) Isae. de Philoct. her. p 59, § 36: μισθοῦν ἐκέλευον τὸν ἄρχοντα τοὺς οἴκους ὡς ὀρφανῶν ὄντων, ὅπως ἐπὶ τοῖς τούτων ὀνόμασι τὰ μὲν μισθωθείη τῆς οὐσίας κτέ. Cf. de Hagn. her. p. 87, § 34· ἀπογραψάσθω πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς τὴν μίσθωσιν τῶν ἐκείνου χρημάτων.
5) v. οἶκος.
6) c. Diogit. p. 906, § 23.

nistratio cum perfacilis esset, tutores horum reditibus utebantur ad necessaria pupillis praebenda. Sic factum est de Xenopithis et Nausicratis hereditate, ut Demosthenes[1]) refert. Ii enim opes omnes suas in aere alieno reliquerunt et res soli perquam exiguas possederunt. Redacto autem aere alieno et vasis quibusdam venditis etiam maucipiis tutores praedia et aedes emerunt.

Apud Suidam[2]) exstat Lysiae fragmentum in quo fortasse nimia legi conceditur auctoritas. Quamquam enim idem orator[3]) alibi dixerat tutoribus licere pupillorum pecunia agres emere, nunc dicit legem iubere pupillorum patrimonium in agris collocare. Ex sequentibus quid eliciendum sit non liquet; quod quo melius intelligatur ipsa verba adscribam: τοῦ νόμου κελεύοντος τοὺς ἐπιτρόπους τοῖς ὀρφανοῖς ἔγγειον τὴν οὐσίαν καθιστάναι, οὗτος δὲ ναυτικοὺς ἡμᾶς ἀποφαίνει. An fortasse Lysias de hoc tutore idem dicit quod de Diogitone[4]), quem narrat nave oneraria duorum talentorum merces vehente in Adriam missa matri pupillorum dixisse se navem illam horum periculo et damno misisse; postquam autem incolumis lucro duplicato revertisset, suum esse lucrum? Diogiton igitur revera pupillorum patrimonii partem maris et tempestatum periculis credidit, quod si omnino non licuisset, Lysias, opinor, non omisisset eum pessimis verbis urere. Nihil tamen eiusmodi in ea oratione invenitur; nihil de re ipsa loquitur orator, haec tantum addit: »atqui si horum dixerit esse damna, sibi vero lucra et pecuniam retinuerit, non difficile rationem poterit reddere impensae pecuniae et ipse ex alienis opibus ditescet.” Ipsam pecuniam autem periculo navigationis maritimae exponere res erat aliquanto maioris momenti quam foenore nautico locare, nam hoc non sine vadimonio neque pignore fieri

1) adv. Nausim. p. 986, § 7.
2) v. ἔγγειον
3) loco nuper laudato
4) p. 908, § 25.

solebat. Qui autem fieri possit ut idem legislator permiserit pecuniam pupillorum navigationi credere (nam hoc non vetitum fuisse apparet ex iis quae dixi) et vetuerit ne foenore nautico ea locetur non intelligo. Hoc tamen ex Lysiae fragmento a Suida servato effecerunt viri graecae antiquitatis peritissimi, Boeckh[1]) dico et qui eum secuti sunt[2]). Videmus nihil eiusmodi vetitum fuisse; **secundum legem licebat tutori pupillorum opes in agris locare**, fragmento si credimus **tutor iubebatur pupillorum opes in agris locare**, hoc a Lysia discimus, nihil amplius, nam ex sequentibus vocabulis fragmenti velle demonstrare vetitos fuisse tutores ne foenore nautico eas locarent nimium sit; per se enim ea vocabula *οὗτος δὲ ναυτικοὺς ἡμᾶς ἀποφαίνει* nihil significant[3]); *ναυτικοὶ* enim numquam sunt ii qui pecuniam foenore nautico elocant, sed socii navales. Si plura descripsisset Suidas, fortasse veram lectionem reperire possemus; nunc satis sit demonstrasse ex hoc fragmento talem legem non posse erui[4]).

Exempla bene multa occurrunt tutorum, qui ipsi pupillorum opes administrabant. Diogitonem in Lysiae oratione, Theophrastum in Isaei de Astyphili hereditate, Aristaechmum in Demosthenis adversus Nausimachum iam saepius commemoravi. De Demosthenis tutoribus nunc videamus.

Quamquam Demosthenis pater in testamento scripserat suaa

---

1) staatsh. der Ath. 1, p. 183: waisengelder konnten nicht auf bodmerei gegeben werden, wiewohl dieses gesetz öfter übertreten wurde. Lys. fr. 37. Hierher gehört auch der fall bei Lysias gegen Diogeiton.

2) Platner, der proc. II. 281, G. de Vries, de foenoris nautici contr. iure att., p. 12 sq.; sic etiam Meier (Meier und Schoemann, d. att. proc. p. 481) dicens: etwas unerhörtes war es mit dem gelde handelsspeculationen auf gefahr der pupillen zu unternehmen, et paullo supra: hier verordnete das gesetz dass waisenvermögen auf landzins (*ἔγγειον τόκον*) und nicht auf seezins (*ναυτικὸν τόκον*) angeliehen werden sollte.

3) neque si cum Meiero (l. l.) *ναυτικοὺς* mutas in *ναυτικὰ ἴς*.

4) Suspicor in servatis vocabulis vestigia superesse huiusmodi lectionis *οὗτος δὲ ναυτικὰ * * * μνᾶς ἀποφαίνει*, ut in Demosth. c. Aphob. 1, p. 816, § 11, *καὶ ταῦτα μὲν οἴκοι κατέλιπε πάντα, ναυτικὰ δ' ἑβδομήκοντα μνᾶς*

opes elocari debere a tutoribus, ut variis locis affirmat orator [1]), tutores id non fecerunt. Negabant scilicet in testamento adscriptam fuisse summam relictae hereditatis et quidquam iussum esse de rei familiaris locatione [2]); quod deinde novo argumento asserere studuerunt contendentes Demosthenis avum debuisse aerario et propterea patrem noluisse patrimonium locari, ne scilicet in periculum deveniret [3]). Testamentum ipsum tamen proferre noluerunt, quod orator absurdissime ab iis factum esse dicit; si enim pater ita mandasset, ut ii perhibent, prolato testamento omni crimine absoluti essent, quod patrimonium non elocassent [4]). Et postquam testimoniis in se mutuo dictis probavit ista omnia in testamento scripta fuisse iterum affirmat patrem suum ingravescente morbo, cum animadverteret se non evasurum, convocatis tribus istis quos tutores scripsisset et fratre Demone cum iis accubare iusso liberos suos illis in manus dedisse et mandasse ut et patrimonium locarent et rei familiaris conservandae adiutores essent [5]).

Quidquid id est, Demosthenis patrimonium non locatum est a tutoribus, quo factum est ut in eius orationibus contra tutores suos per totam huiusmodi administrationis rationem agamur. Hanc totam describere non lubet; sed unum iuris attici institutum ex ea elicere posse mihi videor. Lex scilicet iussisse videtur tutorem curare in pupilli patrimonio administrando, ne novo pignori opponantur eae res, quae iam oppigneratae sunt in pupilli patrimonium; quod cum tutor facere neglexisset, quam poenam leges statuerint nescitur. Quod dixi apparet ex hisce: Aphobus Moeriadi cuidam quingentas drachmas foeneravit pro

1) Demosth. c. Aphob. I, p. 826, § 40 ἐν γὰρ ἐκείναις ἐγέγραπτο ἃ κατέλιπεν ὁ πατὴρ πάντα — καὶ τὸν οἶκον ὅπως μισθώσουσιν
2) l. l. § 42
3) c. Aphob. II, p. 835, § 1
4) ibid. p. 837, § 5
5) ibid. p. 853, § 29

us mancipiis, quae iam ab ipso Moeriade ob quadraginta minas pignori opposita erant Demosthenis patri, cum potius eius officii fuisset, si quis alius in ea pecuniam conferre vellet, hunc tutoris nomine prohibere [1]).

B. De pupilli patrimonio locato.

De tutore aut archonte pupilli patrimonium elocante cum est sermo, hi dicuntur τὸν οἶκον μισθοῦν [2]); qui conducit, ἐμισθώσατο [3]) et οἶκος ipse ἐμισθώθη [4]). Res ipsa autem, locatio conductio, μίσθωσις nominatur [5]).

Modo vidimus [6]) patrem potuisse mandare ut patrimonium elocaretur. Potuit tamen quoque vetare ne locaretur [7]). Ubique praeterea testimonia inveniuntur, quibus indicatur tutoribus licuisse pupilli patrimonium ipsos administrare, licuisse vero quoque id locare. Sic Demosthenes [8]): »licuisset Aphobo omnibus his molestiis carere, si patrimonium secundum has leges locasset." Altero loco autem [9]): »opes meas a tutoribus male administrari neque Onetorem neque multos alios Atheniensium latuit; sed statim patuit iniuriam mihi fieri· adeo multi sermones tum apud archontem tum apud ceteros fiebant de rebus meis; nam et de magnitudine relicti mihi patrimonii constabat et tutores non elocare domum ut ipsi pecunia fruerentur non obscurum erat." Lysiae

---

1) c. Aphob I, p. 822, § 27. — De industria nullam rationem habui orationis adversus Aphobum de falso testimonio, quippe quae a plurimis rectissime Demostheni abiudicata sit.

2) de tutore: Demosth c. Aphob. I, p. 831, § 63, Lys. c. Diogit. p. 905, § 23; de archonte: Isae. de Philoct. her. p. 58, § 36.

3) Demosth. I l. p 832, § 58.

4) ibid.

5) Isae. de Menecl. her. § 9.

6) p 173, n. 1.

7) Demosth. c Aphob. II, p. 837, § 7

8) id c Aphob I, p 831, § 58

9) id. adv. Onet. I, p. 865, § 6

vocabula [1]) hac de re iam saepius laudavi. Cum autem pater in testamento scripsisset patrimonium locandum esse, tutores vero omnino non locassent aut minoris quam aequum esset, potuit institui actio, quae *φάσις μισθώσεως οἴκου* dicitur a grammaticis et lexicographis [2]). Haec *φάσις* a Demosthene indicata esse videtur, cum in orat. adv. Nausimachum [3]) causam ostendit, ob quam Xenopithis et Nausimachi patrimonium non sit locatum: »noluit patruus vester locare,« inquit, »sed cum rem eam detulisset Nicidas [4]) iudicibus persuasit ut sibi facultatem darent eius administrandi. Hoc unicum huius actionis testimonium est, in qua praeterea versabatur una ex Lysiae orationibus [5]).

His praemissis ipsius locationis rationem ex Isaeo proponam [6]):

---

1) c. Diogit. p. 909, § 23 *καίτοι εἰ ἐβούλετο δίκαιος εἶναι περὶ τοὺς παῖδας, ἐξῆν αὐτῷ κατὰ τοὺς νόμους οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὀρφανῶν — μισθῶσαι τὸν οἶκον.* — Prudenter autem cavendum est ne ex orat. adv. Aphob. de falso testim. quidquam velimus statuere de iure attico. In hac enim (p. 853, § 29) haece leguntur ..... *ὅτι πολλὰ τῶν ἐμῶν ἐξηλέγχθη λαβὼν καὶ τὸν οἶκον οὐκ ἐμίσθωσε τῶν νόμων κελευόντων καὶ τοῦ πατρὸς ἐν τῇ διαθήκῃ γράψαντος, ὡς ἐγὼ σαφῶς ὑμῖν ἐπιδείξω. ταῦτα μὲν γὰρ ἦν πᾶσιν ἰδεῖν, οἱ νόμοι καὶ τὸ πλῆθος ὧν οὗτοι διηρπάκασιν χρημάτων*, et (p. 891, § 57) *οὐδὲ τὸν οἶκον μισθώσαντα τῶν νόμων κελευόντων.* Si his locis aliqua fides haberi posset, nobis dicendum foret Athenis legem viguisse, qua tutores iuberentur pupilli patrimonium locare. Cum tamen in genuinis oratorum reliquiis nullam huius rei mentionem factam videamus, at contra ubique sermo sit de facultate tutoribus concessa utrum locarent an ipsi administrarent pupilli patrimonium, nihil restat nisi reiicere iuris attici doctrinam eius qui hanc orationem conflavit et ex oratorum locis, quales sunt *μισθῶσαι τὸν οἶκον κατὰ τοὺς τοὺς νόμους* et *ἐξῆν αὐτῷ κατὰ τοὺς νόμους, οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὀρφανῶν, μισθῶσαι τὸν οἶκον* effecit secundum leges tutores debuisse pupilli patrimonium locare.

2) quos laudatos vide a Boeckhio (die staatsh. der Athener, I, p. 470), cuius disquisitio de hac actione dignissima est quae legatur. Cff. porro Platner, der proc. II, p. 15 et 284 et Meier in Meier und Schoem. der att. proc. p. 294.

3) p. 991, § 23.

4) *φήναντος Νικίδου.*

5) *πρὸς τὴν φάσιν τοῦ ὀρφανικοῦ οἴκου*, Photius v. *φάσις* II.

6) de Philoct. her. p. 59, § 36; cf. p. 162, n. 3.

cum Androcles et Antidorus per fraudem archonti mandassent ut patrimonia duorum pupillorum, quasi adoptatorum ab Euctemonis filiis defunctis, locaret, semet ipsi horum tutores esse dicentes, eum primum tribunalia complerentur, archon has facultates locandas proponit et Androcles cum Antidoro eas conducebant. Verumenimvero fortuito eveniebat ut aliqui qui huic licitationi interessent hanc fraudem renuntiarent iis Euctemonis necessariis qui magnum inde damnum passuri fuissent. Hi ergo accurrentes iudicibus totum indicabant negotium, quo facto iudices bonorum locationem latis suffragiis vetuerunt. Ex iis quae Isaeus narrat apparet ei in cuius manu esset pupillus ab archonte petendum fuisse ut huius facultates locaret; deinde archonti id faciendum fuisse in iure idque primo quoque tempore. Quae vero sequuntur non spectant unamquamque locationem, nam non agitur de controversia sitne patrimonium locatum quanti sit aequum nec conduxerintne ii quibus liceat, sed de fraude ad totum negotium pertinente et sententiae feruntur num ista patrimonia possint iure locari. Probabile tamen videtur tales locationes propterea in iura apud archontem factas esse, ut statim posset diiudicari de omnibus quae inde possent consequi litibus. Nec obliviscendum est pupillorum curam penes archontem fuisse.

Tutorem iudicem pupillorum patrimonii debuisse tradere archonti ut ab hoc elocarentur ab Isaeo[1]) discimus; quod vero ita intelligendum est ut tutori, si pupilli res locari praestaret, cum tali iudice archon adeundus esset.

Rerum natura fit ut, operam et laborem si spectas, conductio non multum differat ab administratione praediorum; hinc statui possit tutores patrimonia pupillorum non potuisse conducere[2]),

1) Is. de Hagn. her. p. 87, § 34

2) ut Platner, der proc. II, p. 282, fecit et propterea locum Isaei (de Philoct. her. p. 59, § 36) male interpretatus est. Video tamen Schoemannum (ad Isaeum p. 341) satis eum refellisse.

nam quam ob causam ea conducere liceret, quae administrare eos taedebat? At quod ad ius attinet multum differt conductio ab administratione: tutori enim administranti nulla praestanda est satisdatio; ei vero qui conducit ut mox videbimus pignus dandum est ne pupilli possint laedi. Tutori administranti patrimonium pupilli semper alienum manebat, conducenti autem patrimonium conductum quasi suum est, nam si controversia orta est de patrimonio locato, ei qui conduxerat, non tutori in iure pro pupillo agendum est, ut Isaeus diserte docet[1]); orator enim eo loco petit ab adversario, qui contendit non opus esse ut de hereditate quadam in iura agatur, quippe quae haud dubie iam sit pupilli, ut indicem bonorum archonti tradat ut ab hoc elocentur: »tum is qui bona conduxerit es ut facultates pupilli a me postulabit." Deinde etiam hoc inter administrationem et conductionem intererat, quod conducenti die constituta foenora de quibus convenerat tradenda erant aut post finitam tutelam patrimonium cum foenoribus; quod cum non fecisset pignus constitutum fiebat pupilli; tutores autem administrantes quomodo agere solerent satis vidimus exemplis Aphobi et Diogitonis.

Cum igitur multum intersit inter administrationem et conductionem et praeterea Isaei testimonio noverimus Androclem et Antidorum voluisse conducere pupillorum suorum patrimonia, negandum est tutores id facere non potuisse, sed probabile videtur eos id plerumque facere non solitos esse.

Hac occasione breviter agam de controversia num tutori licuerit pupilli bona emere. Nulla causa cogitari potest, cur hoc ei negatum fuisse diceremus; archontis enim erat continuo, igitur etiam in emtione venditione, cavere pupillorum commodis; atque praeterea exemplum occurrit Dicaeogenis[2]), qui pupil-

1) de Hagn. her. p. 87, § 34.
2) Is. de Dicaeog. Her. p. 51, § 11.

lorum domum paternam emit, ex qua diruta hortum fecit.

Plures una potuisse conducere patrimonium pupilli non consequitur ex Androclis et Antidori exemplo, nam hi agunt pro duobus pupillis, sed alter Isaei locus [1]) exstat, unde, si opus est demonstrare quod ex iure naturali fit, idem lucidissime apparet: Menecles scilicet dicitur uxoris dotem huius fratribus reddidisse ex bonis Niciae liberorum, **cum particeps esset horum conductionis.**

De tempore quo pupillorum patrimonia locari solerent nihil constat; neque potuit id statuto tempore fieri, cum non omnia patrimonia eodem anni tempore locanda essent [2]).

Easdem grammaticorum et lexicographorum adnotationes, quas attulimus cum agebamus de pignore dando pro uxoris dote [3]), docent ei **qui pupilli patrimonium conduxisset pro hoc pignus dandum fuisse.** Unum huiusmodi titulum superstitem afferre iubet: est cippus in campo marathonio repertus [4]):

---

1) Is. de Menecl. her. § 9.

2) Quantum noceat imprudenter si quis iis quae ab altero recte inventa putet subscribat apparet Platneri exempla qui (der proc. II, 283) haec docet „die verpachtung der mündelgüter, welche zu anfang des jahrs geschah (Petit. 593), scheint gesetzlich angeordnet gewesen zu seyn." De posterioribus iam supra dixi; quod ad priora attinet, vellem vir doctissimus citavisset idoneum testem. Petitus autem aliud agens illud tempus indicavit. Ecce huius ipsius verba: „haec locatio fiebat novo ineunte anno, mense Hecatombaeone, tunc enim migrabant ex aedibus in alias unde Comicus Ἐκκλησιαζούσαις, vs 753:

οὗτος, τί τὰ σκευάρια ταυτὶ βούλεται;
πότερον μετοικιζόμενος ἐξενήνοχας
αὔτ' ἢ φέρεις ἐνέχυρα θήσων;

Dicuntur enim Hecatombaeone mense, tunc primum quoque iudices sorte erant capti; unde dixit Isaeus ἐπειδὴ πρῶτον τὰ δικαστήρια ἐπληρώθη, de Phil. her. § 37." Videmus Petitum haec Isaei vocabula male intellexisse, unde errorem ipse ingressus Platnerum a recta via deverttit.

3) p. 45, n. 1.

4) Boeckh, C. I. Gr. I, n. 531.

ΟΡΟΣ ΧΩΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ ΑΠΟΤ(ι)
ΜΗΜΑ ΠΑΙΔΙ ΟΡΦ(α)
ΝΩΙ ΔΙΟΓΕΙΤΟΝΟΣ
ΠΡΟΒΑ.

In eadem Isaei oratione quam modo laudavimus [1]) sermo est de praedio oppignerato ob eiusmodi conductionem. Menecli scil., qui particeps factus erat conductionis Niciae hereditatis, interdicebatur vendere praedium quoddam, quod haud dubie tamquam ἀποτίμημα dederat in illa conductione. Cum autem pecuniam pupilli ad tempus reddere non posset, neque ei per adversarium liceret praedium istud vendere, cogebatur in pupilli gratiam agro isto cedere. Altero Isaei loco [2]), quo Androcles et Antidorus archontem adeunt mandantes ut elocet Ergamenis et Philoctemonis bona, quoque huiusmodi oppignerationis exemplum datur. Isti quasi tutores scilicet videntur Euctemoni (patri Ergamenis et Philoctemonis) persuasisse ut pro se, qui mox ea patrimonia conducturi essent, fideiuberet, quo efficerent ut omnes Euctemonis opes sibi traderentur, nam cum nomine filiorum adoptatorum supposititiorum altera pars patrimonii Euctemonis locaretur, altera pars fieret pignus huius conductionis.

Iam vidimus locationem semper valde profuisse patrimonio pupillorum [3]) et tutores ipsos multis et magnis molestiis liberare [4]).

5.

DE INSTITUTIS QUIBUS CAVETUR NE TUTORES SUA ABUTANTUR POTESTATE.

Pupilli cum nondum in iure pro se possent agere neque

1) de Menecl. her. § 28, ubi tamen ex verissima Piersoni observatione (ad Moeridem p. 228 sq.) pro κατόχιμον restituatur κατοκώχιμον.
2) de Philoct. her. p. 59, § 36.
3) p. 174, n. 3.
4) p. 175, n. 6.

omnino contra tutores suos [1]), neque tamen hi semper ita agerent ut omni culpa vacarent, lex praeter continuam archontis curam et cetera instituta, quae demum post tutelam finitam prodesse inciperent, alio quoque modo caverat ne pupillus ipse neque eius opes laederentur. Sic exempli gratia ipsius tutelae tempore ab unoquoque cive attico publicae ὀρφανῶν κακώσεως et ἐπιτροπῆς actiones contra tutores institui poterant [2]); deinde plures cum plerumque numero essent tutores, pupillus alterius ope poterat uti ad alterum tutorem in ius vocandum; cuius rei exemplum habemus Theopompi tutoria filii Stratoclis, qui ab altero eiusdem tutore per εἰσαγγελίαν κακώσεως in ius vocatus est [3]). Ex iis autem quae in ea Isaei oratione proxima sequuntur apparet tutorem damnatum a tutela removeri [4]).

Iam saepius dixi de lege quae vetabat ne ἑταιρήσεως γραφὴ sit contra ipsum puerum, quem pater aut frater aut avunculus aut tutor prostituerit, et iubebat eam actionem institui contra eos qui illum ad corpore mercede merendum elocarint aut conduxerint [5]). Hanc igitur nunc omitto.

Oratorio ardori censeo deberi Isaei narrationem de Dicaeogene, qui pupillum suum pro calone addidit Harmodio fratri suo ad corinthium bellum proficiscenti [6]); vix enim mihi persuadeo tutori tantam potestatem in pupillum datam fuisse, ut eo tamquam servo uti posset.

Rerum tamen natura fert ut saepissime in pupilli opibus

1) Is. de Hagn. her. p. 66, § 27. οὐ γὰρ εἶναι τοῖς ὀρφανοῖς κατὰ τῶν ἐπιτρόπων.

2) de quibus actionibus cff. Meier und Schoeman, der att. proc. p. 291 sqq. Platner, der proc. II, p. 265

3) Is. l. l. p. 85, § 13 et p. 87, § 31.

4) ἐξ ὧν — ἤλπιζεν — ἐμὲ τῆς ἐπιτροπῆς ἀπαλλάξειν.

5) Aesch. c. Tim. p. 2, § 13 et p. 3, § 18.

6) Is. de Dicaeog. her. p. 51, § 11.

abutantur potestate sua tutores, unde hac de re plurima legis instituta inveniuntur.

Fuerintne tutoris bona iure attico obligata ob pupilli opes quaeritur inter huius iuris peritos: Meier [1]) affirmat, Schrader [2]) hunc sequitur; alii autem negant, ut Platner [3]) et van Assen [4]). Videbimus hos recte censuisse.

Unicus locus qui hac de re in medium proferri potest exstat in Demosthenis oratione prima adversus Onetorem [5]), qui ut recte intelligatur necesse est paucis huius causae rationem exponam. Aphobus, unus ex tutoribus, damnatus a iudicibus intra constitutam diem Demostheni non solvit mulctam decem talentorum; Demostheni igitur ius erat invadendi in Aphobi domum servos praedia: quod facientem Onetor vi ex agro quodam uno talento aestimato eiecit, contendens hunc agrum sibi ab Aphobo oppigneratum esse ob sororis dotem [6]); Demosthenes autem ἐξούλης actionem adversus Onetorem instituit et orationem habuit, qua demonstraret illum Aphobi agrum nequaquam Onetori oppigneratum fuisse; numquam enim ipsam dotem datam esse Aphobo neque umquam Onetoris sororem revera ab Aphobo discessisse. Haec autem omnia rem nostram non spectant, nobis satis sit scire Onetorem non dedisse dotem ipsam Aphobo, sed hunc a Timocrate, priore marito Onetoris sororis, quotannis eius foenora percepisse. Cur Onetor ita egerit orator ipse explicat: »facultates meas a tutoribus male administrari neque Onetorem neque multos alios Athenienses latuit, sed statim patuit iniuriam mihi fieri. Adeo multi sermones

1) Meier und Schoemann, der att. proc., p. 431.

2) ad Instit. 1, 24, p. 139: »ne pupillorum bona a tutoribus consumerentur, remedium quaesiverunt iuris Attici conditores — in hypotheca tacita."

3) der proc. II, p. 288.

4) in bijdr. voor regtsg. en wetg., 1853, V, p. 282, th. 8: »iure attico bona tutoris non erant obligata pignore tacito. Locus Demosthenis in orat. in Onetorem, p. 866 non adversatur huic sententiae."

5) p. 866, § 7.

6) cf. p. 44, n. 5.

tum apud archontem tum apud ceteros fiebant de rebus meis; nam et de magnitudine relicti mihi patrimonii constabat et tutores non elocare domum ut ipsi pecunia fruerentur non obscurum erat, quare quicunque illa norant putabant me, cum primum in viros fuissem receptus, poenas de iis sumturum esse; inter quos et Timocrates et Onetor in ea sententia perpetuo fuerunt. Quod ita esse maximo illud argumento est quod iste sororem quidem Aphobo dare voluit, non modo patris ipsius, sed et meis non parvis facultatibus potitum videns, dotem autem numerare pertimuit, **existimans tutorum opes pupillis veluti oppigneratas esse** [1]); ac sororem quidem dedit, sed dotem usura quinque obolorum se illi debiturum pepigit Timocrates, in cuius matrimonio mulier prius fuerat." Demosthenes igitur auctor est Onetorem existimantem bona Aphobi non satis tute ab hoc possideri, quippe qui tutor pupillum suum turpissime fraudaverit et cui itaque periculum immineret ne ipsa bonis eiiceretur, dotem ipsam non numerasse Aphobo. Onetor contra cum Aphobo contendit dotem numeratam et agrum pro ea oppigneratum esse. Huius autem oppignerationis ὅροι debebant affixi fuisse agro (hisce enim tabulis indicabatur fundum illum pro dote oppigneratum esse), quo neque Demostheni neque alii cuiquam ius fuisset in illum invadendi, nam nec dos nec illius pignus propter mariti culpam abalienari poterat [2]). Fundus igitur iste non oppigneratus erat propter Onetoris sororis dotem. Neque in Demosthenis patrimonium, nam huius quoque oppignerationis ὅροι debuerant conspici, veluti vidimus fieri de pignore, quod ab iis dabatur qui pupilli patrimonium conduxerant [3]). Si autem fundus Aphobi iam tutelae causa oppigneratus fuisset, idem non iterum propter Onetoris sororis dotem oppignerari potarat; quod si factum fuisset, Demo-

1) ὥσπερ εἰ τὰ τῶν ἐπιτροπευόντων χρήματ' ἀποτίμημα τοῖς ἐπιτροπευομένοις καθεστάναι νομίζων.

2) cf. p. 46, n. 1.

3) cf. p. 183, n. 3.

sthenes, opinor, non neglexisset de nova ista fraude conqueri, quod tamen nusquam facit. Onetor autem et Aphobus contendebant istum fundum in hanc dotem oppigneratum esse: igitur de priore oppigneratione nullus potest esse sermo, et Demosthenis vocabula laudata hoc tantum significant **Onetorem timuisse ne Aphobus damnaretur tutelae prave gestae, quo facto Demostheni ius concederetur in huius bona**, non autem propter tutelam ipsam, sed propter damnationem. His recte disputatis spero fore ut controversiam de tacito illo pignore plane diremerim [1]).

Patriae potestatis terminus erat tempus, quo filius inscribebatur tabulis lexiarchicis [2]); tutores tamen ipsi non semper curabant ut pupilli inscriberentur, occurrit enim exemplum Demosthenis qui in Paeaniensium librum inscriptus est Philodemo demota curante [3]).

Pupillus cum vir factus esset, hoc ipso liberabatur tutela et curam sui ipsius gerere incipiebat. Ut autem duplex erat ratio tutoris curae in pupilli opibus gerendis, sic etiam patrimonii recipiendi duo modi pupillo instituti erant.

Tutor ipse cum pupilli rem familiarem administrasset, hic vir factus gestae tutelae rationes poscebat [4]), qualis *λόγου* exemplum iam attulimus ex Lysiae

---

1) Platner (der proc. II, 237), ut fortasse quoque alii, quorum nunc explorare non lubet hac de re sententias, dicit Demosthenem legem afferre „dass derjenige, welcher eine ungerechtigkeit zulasst und vertuscht, so angesehen werden solle, als ob er sie selbst begehe und demzufolge dasselbe schuldig sey, was der urheber selbst." Hanc vero legem non tractavi, quia locus ille (περὶ μὲν γὰρ ὧν καθυφεῖκας, νόμος ἐστὶ διαρρήδην ὃς κελεύει σε ὁμοίως ὀφλισκάνειν, ὥσπερανεὶ αὐτὸς ἔχεις) legitur in orat. adv. Aphobum de falso testim. p 855, § 36, quae neque a Demosthene neque ab huius aequali oratore habita est (cf. p 101, n. 1). Legem vero ita se habuisse omnino non nego

2) cf. p. 132, n 2.

3) Aesch. de F L p. 48, § 130

4) Demosth. pro Phorm. p. 950. § 20

oratione contra Diogitonem [1]). Pupilli, quibus tutores nocuerant, contra hos ἐπιτροπῆς δίκην instituebant, cuius actionis satis sit laudare exemplum Demosthenis [2]). Nisi autem pupillus intra quintum annum post tutelam finitam tutorem in ius vocasset, eiusmodi actio non recipiebatur, ut diserto testatur Demosthenes [3]): »ut autem intelligatis non modo nunc ns iniuriam non fieri, sed contra omnes leges cos nobis molestias praebere, eam quoque legem vobis recitare volo, quaa aperte dicit, si quinquennium praeterierit et non in iudicium venerint, non amplius orbis agere licere de iis rebus quae ad tutelam pertineant." Hoc autem quinque annorum tempus alio loco [4]) ab eodem oratore satis idoneum dicitur intra quod omnes postulationes exigantur: »Solon enim mea opinione haud aliam ob causam eam legem tulit, nisi ut ne vos calumniis deciperemini nam si cui facta esset iniuria, satis esse quinquennium ad exigendum, et mentientes tempore clarissime redargui posse putavit. Et simul etiam, quia non posse fieri vidit ut et adiutores et testes perpetuo vivant, in eorum locum hanc legem suffecit, ut qui his carerent aequitatis testis esset."

Lex ea aliquantum tutorum condicioni succurrit, quos Athenienses, merito fortasse, saepius suspectos habebant; pupilli contra semper ra ipsa in meliore quadam condicione versabantur [5]), nam et perpetuae archontis curae mandati erant et haud parva popularium benevolentia eos prosequebatur.

Cum plures essent tutores, qui una pupilli rem administraverant, in singulos erat actio pro rata

---

1) p. 169, n. 1.

2) de actionibus ipsis cff. Meier in Meier und Schoem., d. att. proc. p. 454 sqq. et Platner, der proc. II p. 238.

3) adv. Nausim. p. 989, § 17.

4) pro Phorm. p. 952, § 26.

5) cf. Demosth. adv. Nausim. p. 990, § 20: τὰ φύσει τότε τούτοις πλεονεκτήμαθ' ὑπάρχοντα· καὶ γὰρ ὀρφανοὶ καὶ νέοι καὶ ὁποῖοί τινές εἰσιν ἀγνῶτες ἦσαν.

parte. Demostheni tres fuerant tutores, qui fere omnes eius opes diripuerant; in oratione autem de tutela contra Aphobum [1]) dicit harum, quippe communiter a tribus direptarum, tertiam partem ab Aphobo sibi restituendam esse.

Verbo tantum moneo contra tutoris heredes agendum fuisse non ἐπιτροπῆς sed βλάβης δίκῃ, qua in re versatur saepius a nobis laudata oratio Demosthenis adversus Nausimachum et Xenopithem [2]).

Elocatio cum ad tutoris curam quod attinet multo simplicior esset, tum in tutelae fine tutorem iis molestiis liberabat quae necessario ex administratione consequebantur. Iam diximus contra tutorem, qui, cum pater mandasset, pupilli patrimonium omnino non elocasset aut minoris quam par esset φάσιν institui potuisse [3]). Locatione durante nullum periculum erat ne pupilli opes perirent, nam ei qui conduxerat pignus praestandum erat [4]), quod finito locationis tempore pupilli fiebat, si is qui conduxisset patrimonium reddere non posset [5]).

Cum locatio semper fieret auctore archonte, verisimillimum videtur etiam eodem auctore patrimonium conductum reddendum fuisse. Huius rei tamen nusquam testimonium invenitur. Unus tantum locus ad manum est, unde apparet quid ea occasione fieri soleret. Demosthenes [6]) scilicet narrat Antidori patrimonium a tutoribus locatum sexennio e tribus talentis factum esse sex talentorum; »quod vestrum quidam viderunt," pergit orator, »nam Theogenes Probalisius, qui eius rem familiarem conduxerat, in foro (ἐν τῇ ἀγορᾷ) hanc pecuniam numeravit."

---

1) p. 822, § 29

2) cff. Platner, der proc. II, p 289 et Meier und Schoem. der att. proc. p. 455 et i. p. p. 475 sqq

3) p. 180, n 2.

4) p. 183, n 3.

5) p. 184, n. 1.

6) c. Aphob 1, p 832, § 58

E vocabulis in foro tamen non potest demonstrari pecuniam eam numeratam esse archonte auctore, cum iis possit significari locus in quo negotiatores suum munus exercent.

Fere nihil de harum legum auctore attuli. Licet autem hic illic summi legislatoris nomen appictum sit et versentur in re quae temporibus non multas passa sit mutationes, tamen potius habui nihil hac de re in medium proferre, praesertim cum certi quidquam statui non possit.

In his scribendi finem faciam. Pro virili parte eas explicui leges, quae in Platonis Critone divinum Socratem haec interrogare dicuntur: οὐχ ἡμεῖς σε ἐγεννήσαμεν καὶ δι' ἡμῶν ἐλάμβανε τὴν μητέρα σου ὁ πατὴρ καὶ ἐφύτευσέ σε; Equidem vellem mihi horum commentariorum lectores, si qui erunt, id roganti quod in Platonis loco sequitur: Φράσον, μέμφει τι ὡς οὐ καλῶς ἔχουσιν; Socratis οὐ μέμφομαι evenerit.

INDEX.